PRINCEPS POLONVS.

Seu

Institutio primarij, & in excelsâ familiâ editi Iuuenis, in Republica Polona.

Ad

Illustrissimum Principem ac Dominum,

D. VLADISLAVM DOMINICVM, DVCEM IN OSTROG ET ZASLAW, Comitem in Tarnow.

D. D. D.

IOANNES INNOCENTIVS PETRICIVS, Medicus & Historiographus in Academia Cracouiensi.

CRACOVIÆ,
In Officina Francisci Cæsarij; Anno Dñi, 1633.



Cætera Principibus ſtatim adeſſe, vnum inſatiabiliter parandum, proſperam ſui memoriam. *Tacitus.*

Illustrissimo Principi, D. Vladislao Dominico, DVCI IN OSTROG, & ZASLAW, Comiti in Tarnow, PRINCIPI IVVENTVTIS.

IOANNES INNOCENTIVS PETRICIVS.

VETVS, & ab antiquissimis deductus ad nos temporibus PRINCEPS ILLVSTRISSIME, scriptorum mos est, lucubrationes suas offerre Principibus, laboresque tanquam non sibi impensos, amplis & augustis publicè transcribere nominibus. Quia nec præclaris rebus pretium honoremue deferri videmus, nisi faueant præeantq; ij, quorum fortuna in quodcunque tendit, semper circa se habet eos, qui sequuntur: nec alijs maior necessitas incumbit, vt plura, vt meliora noscant, quàm quorum sapientia, multis debet prodesse mortalibus. Sed sicut

Mos dedicandorum Principibus librorum vnde venit.

Cic: libro de claris Oratoribus.

Dedicantium errores.

eminentia colere, atq; Dijs supplicare, nemini fuit vitio, quantùm quisq; vellet: ita haud quaquam parem gratiam obtinuit, hoc ipsum præstare eiq; dedicare, qui oblata minus amat capituè. Nam nec genuisse quisquam in id concupiuit, vt exponeret, & sine notitiâ intelligentiâq;, quantumuis elaborata, tantundem contulerunt, quantùm cithara surdo, aut præcepta de cultu agrorum ieiunis & sterilibus terris. Vt operi, quod quis aggredi destinauit, nisi peritissimum aduocat consultorem, ita tot disciplinis artibusq; in diuersa tendentibus, eligenda non est, quæ cui offertur, non conuenit, minus adhuc, si etiam ab ipso ignoretur. Alia enim est conditio publicantium, alia nominatim alicui dicantium, nec parum interest, spargas aliquid in omnes, an vni deferas, non excludas quenquam an eligas, & quicquid illud est, alijsnè promiscuè composuisse, an alijs videris vt vni. Antimachus Poëta, cùm conuocatis auditoribus, legeret quoddam volumen suum, omnesque legentem præter Platonem deseruissent; Legam, inquit, nihilominus, Plato enim est mihi instar omnium. Haud aliter nuncupando euenit, vt tametsi commune fiat quod publicatur, atq; eo cuiq; vti liceat ac suo, ad neminem tamen magis pertinet

Cic: libro de claris Oratoribus.

quam

quàm vnum, & inter varietates iudiciorum, si cæteri discrepent abeantque, ad eum superest recursus, quem sibi scriptor fecit & reliquit instar omnium. Quò mihi rectiùs facere, propiusq; id perspicere videntur ij, qui omnium maximam sapientiam, ac propriam primamque Principum disciplinam Virtutem existimantes, in eâ potissimum tradendâ, apud Principes industriam suam intendunt. Nam & documentis assentationem effugiunt, laudibus temperando, quæ sæpenumero falsæ, non paucos deserunt aut prodant, aliquando veræ, hoc ipso multis obsunt quod viuunt: nec minorem sine laude honorem exhibent, asignando ijs proprium, quicquid est in virtutibus præcipuum. Quod ego non inferiùs reposuerim illâ, quam veterum sapientissimi tantopere æstimabant, notitiâ sui, quibus difficilior pulchriorque eruditionis nulla æquè pars visa est, quam hæc vna, Noscere seipsum. Interim etiam ad commemorationem virtutum animus excitatur, attollitur, surgit, ex magnitudine earum spiritum ducit, aut intra se vitia emendat, vel quoties aliud inde non refert, sentit saltem, nihil placere posse, quod non decet. Nisi quem fortasse peruersa opinio tenet, Virtutem, non institutione aut præceptis, sed à natu-

Quæ dedicanda potissimum Principibus.

Virtus indiget magistro & præceptore.

 râ haberi,

râ haberi, atq; ad contemptiſsima quoque adhibet diſciplinas, agnoſcitque propè omnia egere doctoribus, in re vnâ, eò meliori quò maior eſt, renuit preceptorem. Igitur ſicut quomodocunq; prodeſſe voluiſſe, abunde ſemper pulchrum magnificumque ſcriptoribus fuit, ita hâc in parte, eò paratior illis ſeu gloria ſeu venia fuit, quò pulchrior præſtabiliorque eſt laudabilium & honeſtorum cupiditas. Ac mihi quidem ipſi, tametſi ingenium meum haud vnquam præ aliorum, aut ampliùs æquo probaretur, tamen libuit interea, eius potiſsimum rei, & apud te SPEI MAGNÆ IVVENIS periculum facere. Quippe vt perplexa & difficilia ſint alia, quæ hominum ingenijs exercentur, hoc quod priùs & expeditiùs nobis eſſe debet, ad quod natura nos genuit, vt boni ſimus, breuiſsimâ ac facili conſtat arte, ſecundùm naturam non contra viuere, longumque ac difficile ſtudium & operam facere videtur, id tantùm, cum repugnamus. Adhæc, quæ magis exequi oportet ac facere, haud tantùm poſcunt ingenium, nec potuerunt ſcriptores ſimul induſtriæ ſuæ & alterius vſui parere. Multorum Principes & Reſpublicæ amplæ ſatis & magnifice in libris leguntur, & pro optimis à legentibus habentur celebranturq;, prout prouenêre à ma-

Virtutis facilis perceptio.

Scriptores rerumpub. & Principum in qua re præcipuè delinquunt.

gnis & præclaris ingenijs, aliquantum tamen ex vano trahunt, ſicuti ego exiſtimo, quam autores earum aduertêre. Nam diligentiùs reputando, quàm altè in ijs deſcribendis, & quouſque ingenijs proceſſerunt, magis in implendo naturæ vim, quam in formando induſtriæ laudem deſiderari in ijs deprehendemus. Sicut Stoici aut Oratores, dum conſummatiſsimum ſapientem vel eloquentem deſiderant, imaginantur tantùm eum & fingunt: ita nemo inuentus, qui effeciſſet, quantum ipſi præceperunt, nec vllus fuit, vt in cæteris, ſic in virtute perfectus. Eſt prætérea, vt ſingulis in rebus, ita hic quoq; orbis quidam, vtque temporum vices, ſic morum vertuntur; & quemadmodum ipſæ virtutes, & pro terrarum in quibus oriuntur ſpiritu, & pro fortunæ, in quam homines naſcuntur aut perueniunt conditione, diuerſæ proueniunt, ita non vnâ viâ ducentem ſequuntur, & quamlibet ingenioſè multa præcipienti, paucis repugnant, ſi, quid conueniat, quiduè effici poſsit, ante non expenderit. Sed mihi inſuper multa de incœpto factoque meo cum animo agitanti, quibus ille rebus maximè percelli poterat, ijs apud te VLADISLAE DOMINICE maximè erectus eſt. Primùm, æquanimitate tua: nam cum excelſa fortuna inter

De virtutibus non vna ratione ferendum eſt iudicium.

Principibus monitores exoſi.

na inter pleraque, inprimis aſperrimè rectores conſultoreſque patitur, tu hoc prooemio præcipuoque virtutum inſtrumento pectus tuum imbuiſti, vt admonitore gaudeas. Deinde indole tuâ, quâ ita tuomet nixu & impetu ad optima quæq; & præclariſsima ferris, vt & nunc ex purpurâ ætatis tuæ, quæ primam deſignat adoleſcentiam, tanquam ex tenero vngui, futurarum virtutum tuarum lineamenta, haud falsò duci poſſint, & tu ipſe, nihil nobis poſtea, non etiam ſupra præcepta præſtare poſſe videris, qui tàm citò coepiſti. Nam alia in te noſtra officia, ſuis temporibus conſtabunt, ijſq; in te fungemur aliquando, poſtquam in optimarum diſciplinarum ſtudio, & apud lectiſsimos viros, in Academia noſtra ætatem egiſti, inter propria primaq; cenſuimus, optima quæque non ſpe tantùm de te concipere, ſed etiam noſtris præceptis. Quin etiam ipſum te decet, non prius à nobis atq; ab Academia recedere, quam veluti ex nobili & opulentâ prouinciâ, non vulgares & te dignas merces reportaris. Quæ quidem eò maiori curâ & ſolicitudine tibi comparandæ ſunt, quò de nullâ re frequentiùs homines queri audimus, quàm de otio in magnitudine Principum, atq; cum, ad reprehendenda aliena facta dictaq;, ardeat omnibus

Cauſa confecti libelli.

bus

bus animus, neminiq́ue non in procliui fiat, alios corrigere, tùm vix tui ſimilibus contingit, vt abſint à crimine, etiamſi ſint procul à vitijs. Nam in magnâ fortunâ quærit ſemper ſibi locum liuor, & natura hominum incrementis alienis aduerſa, non alibi citiùs inuenit occaſionem criminum. Ac propoſiti quidem mei, cùm hæc mihi ratio maxima, tum aliæ quoq́ue, cur te DOMINICE potiſsimùm inter fratres elegerim, fuerunt. Quanquam enim Dijs volentibus & maiorum merito, tu, fratreſq́ue tui, magni & opulenti in hoc regno, atque pariter nati Principes eſtis, eademq́; ab ALEXANDRO CONSTANTINO, & IANVSSIO ISYDORO, quæ à te omnes boni pariter & poſtulant & expectant, plus tamen nobis vnus tu debere videris, etiam vt tibi par cum fratribus neceſsitas eſſet. Primùm, quod ætate prior es; deinde, quod iam prudentiam colligis: illi & admodum adhuc adoleſcentes ſunt, & quantùm tu virtutibus præcurras, tantùm ſperare de illis debemus, qui te ſequuntur. Iam verò iſtud ſeparatum & tuum, quod deficiente in familia Ducum in Oſtrog hærede, tu tanti nominis & virtutis hæreditatem vnus adis, primuſq́ue familiæ tuæ refers & auſpicaris. Equidem ego non ignoro, quæ à principio cum

Cauſa dedicati vni ex fratribus.

Ducum in

Ostrog & Zaslaw, vna familia.

Regibus quoque cognatio, quæ necessitudo, quantæ opes & potentia vestra fuerit, cùm non duos tantùm Ducatus in Ostrog & Zaslaw, sed ingentem tetrarchiam regni, familiâ vestrâ complecteremini, neque dum vos superessetis, deesse alteri poterant in domo vestrâ necessarij hæredes, vt tamen vnus ex vobis, ad tantas opes succederet, hæresque scriberetur, erat quoddam in eo magnum & excelsum consilium. Nihil temerè, nihil fortunâ factum est, multumque retulit, inuenisse successores an iudicio fecisse, reliquisse an dedisse alicui omnia. Nam cùm finem sibi à naturâ imponi, seque sine prole ac liberis inclyta & vetustissima familia, patriæ reique publicæ subduci cerneret, cessare sine filijs potuit, deficere splendore, dignitate, rerumque gestarum amplitudine & gloria in aliquo hærede neutiquam voluit. Ad hoc omnia instrumenta atque subsidia, & quod licuit potuitque, non pluribus, sed vni contulit, nomen suum, ingentem claritudinem, amplissimas diuitias, copias magnas armorum virorumque: existimans virtutem eius qui hæc accepisset patriæ familiæque suæ vsui & gloriæ fore. Profectò vt diligentiùs attendendo, laudabiliùs magnificentiusuè quidpiam expetiuisse an potuerit nescias, occasumnè

Ordinatio Ianussij Ducis in Ostrog, qui vltimus sine liberis excessit è vitâ.

Ducatus in Ostrog & Zaslaw scissi coëunt iterum sub Dominico.

tunc

tunc à se depellere, aut olim sibi ipsa tanta fecisse principia. Neq; enim putes, ea quibus nunc magnus & potens es, & abundè in domum tuam venerunt, pariter illi quoq; à principio affuisse, aut maiores tuos sumptibus & diuitijs potiùs, quàm labore, industriâ, patientiâ, tot tantaq; bona acquisiuisse tibique reliquisse. Omnia in principijs parua fuerunt, ex paruis virtute & industriâ hominum magna euaserunt. Sanguinem illi pro ijs præbuêre, vt illorum hæres, nullius aliquando rei egens, præclaræ tantum famæ gloriæque incumberet. Quò magis tibi etiam atq; etiam animo prospiciendum est, vt tot tantaque, à maioribus tuis, tibi relicta, serues & retineas. nam perinde virtute parta atq; manu fabricata, celeriter deformantur & corruunt infirmata, nisi magnâ industriâ habeantur curenturque. Mihi quidem, quæ mens interea suppetit, apud te deponere non dubitabo. non quantùm de quacunque re dicere possum, sed quantùm plura designare tantùm opus est, apud agnoscentem. Latissimè enim fusa est virtutis doctrina, & multiplex, & propè quotidie noua, & de quâ, nunquam dici poterunt, ab omnibus omnia. Nos qui ei scribimus, cui non disputanda sed expedienda virtus est, cum rerum statu & conditione

Intentione valde laudabili.

Propositum autoris.

tuâ deliberabimus, facturi quod Tarquinius, vt magna tantùm & generoſiora capita decutiamus. Plura tu tibi ipſe dices, cauſamq; ſcriptionis, non tàm docendi cupiditati imputabis, quàm ſtudio potiùs in te noſtro, quod toties beneuolentiâ tuâ auxiſti.

Opes humanæ faciliùs ſe ſuſtinent in mediocritate.

Sæpe ego cum animo meo reputando, quibus cauſis, clariſsimi reges, principes, tùm etiam imperia, regna, populi, nationes, faciliùs ſe in paruis opibus, quàm in maximis ſuſtinuiſſent, ita comperi, & multa legendo didici, in omnibus vim & induſtriam hominum potiùs valuiſſe, quàm quod fortuna apud ſe in occulto res mortalium miſceret, atq; alia alijs per libidinem donaret adimeretuè. Quanquam enim pleraq; humanarum rerum ei attribuuntur, atq; etiam magnitudine ſua nonnulla laboraſſe, ſeq; confeciſſe viſa ſunt, vſque eò tamen integra omnia & incorrupta manſere, donec ſuis ipſa ſibi moribus exitium feciſſent corruiſſentque. Quippe neque ſecundæ res neq; aduerſæ, ſolæ hominibus contingunt, ſed diuerſis moribus comitatæ, prout ingenium ijs obnoxium inuenerint, fata & fortunam cuicunque deſtinant adferuntque. Plerunq; quos paruæ & anguſtæ res premunt, quantò aſperiùs tantò attentiùs in ijs & magis anxiè

Induſtria & contentio ſunt priuilegia paupertatis.

agitant,

agitant, omnibus locis adſunt feſtinant, quò ſe vindicent aut tueantur, neq; delicto, neq; libidini obnoxij, digna prorſus virtute capeſſunt, ſe ipſos hortari, ſibi conſilio eſſe, ingenium in prõptu habere, in curis, in vigilijs, in laboribus multi eſſe, nullâ re fatigari, nihil contemnere, multa tentare, pati, anteuenire, deniq́ue omnia ſummo ſtudio exequi. Itaq; tales viros, taliaq́ue imperia, non vis vlla, non aſpera, non gentes in aduerſum conglobatæ, frangere aut loco mouere potuiſſe legimus, quin ea quæ virtute ceperant, cum anima ſimul tenerent poſsiderentq́ue. At contra, in magnis opibus cuncta hæc defluunt deſeruntq́ue, quò plus otij & abundantiæ, eò ingenij induſtriæq́ue & curæ minus ſemper adeſt. Id adeò haud mirandum eſt. Nam ſtudium in labore & virtute tamdiu durat, quandiu quod petitur, nondum habetur, poſtquam contigit, cætera cum voto ſeneſcunt abeuntq́ue, ſtudium ſtatim ad alia vertitur. Subit quippe etiam ipſius inertiæ dulcedo, animuſq́ue remotis neceſſitatibus aut periculis, primùm quieti & otio aſſueſcit, ab his mox ad voluptates tranſcendit, à quibus defeſſus emollituſq́ue, citiùs aut tardiùs, maturè tandem ſuccumbit, ac diſsidentibus moribus, retro agit trahitq́ue ſecum omnia. Nam

Ex ſummo retro cur facilè fortuna hominum volui conſueuit.

Inertia

cuncta ijs retinentur artibus, quibus initio parta fuêre. Neq; hæc res tantùm in imperijs publiceque, sed in quacunque magna fortunâ priuatim, ita se habet. In quâ vt te anxiè regas custodiasq;, tamen retinere eâdem constantiâ illa, per quæ creuisti, difficile & arduum factu est. Secundæ enim res ipsorum etiam sapientum animos fatigant, multiq; visi sunt gaudijs corporis & pecuniæ ex professo infensi, in hæc tamen ipsa, cupiditates suas soluisse, velut à se tantùm relictas & frustra damnatas, aut si continentes in vitâ, nequaquam ita in pecuniâ fuisse, pluresque inuentos, qui vitæ commoditates vituperassent, quàm qui fastidissent. Sed irrumpit præterea ab alijs adulatio, blanditiæ, sua cuiq; vtilitas, quæ fidem, libertatem, amicitiam, præcipua humani animi bona, quorum neque Principi, neque cuiquam mortalium satis vnquam esse potuit, per obsequium imminuunt corrumpuntque. Nam res docuit, id verum esse, quod quidam docuit, Retinendis in virtute hominibus, aut amico ingenuo opus esse, aut ardenti acrique inimico. Iam verò amicus pauperi nihil simulat aut fingit, opulento suus omnia. Quamobrem plurimorum inter homines, in incerto iudicium fuit, quænam fortuna magna vel parua, altera alteri anteponenda,

Secundæ res sapientum animos fatigant.

Insidiis multorum obnoxiæ.

Plutarchus.

Dubitatum à plurimis optatior esset mediocris vel magna fortuna.

ponenda, vtrauè ex ijs liberis præoptanda & relinquenda eſſet. Nam amplæ & ſecundæ res felices tantùm, modicæ induſtrios & frugi, magniq; pretij viros faciunt: illic plurimùm poſsidentibus, plurima deſunt, hîc quod pretioſiſsimum diuitiarum genus habetur, adeſſe ſolet vera vox & conſilium: adhæc ex eâ fortunâ quæ deterior creditur, res viſæ ſunt ingentia incrementa feciſſe, ex alterâ citò corruiſſe defeciſſeque in deteriùs. Magna mihi copia eſt memorandi, qui viri genteſuè priuatim publiceque per opulentiam ea perdiderunt, quæ per virtutem inopes ceperant. Sed malo dicere ea, quæ pertulimus, quàm quæ legimus audiuimuſque, atque vt non nos ipſi ſolùm, inconſtantiam rerum proſperarum perſenſimus, ſed eodem tempore fortunam felicia & beata regna ac imperia, verſantem iactantemq; ſpectauimus. Si quando enim, noſtrâ profectò tempeſtate, res noſtræ, vt magnificæ & opulentæ, quantùm maiorum virtus, Dijq; nos adiuuêre, ita nunquam aliâs magis in prærupto ancipitique fuerunt. Imperium vtroq; mari, Balthico & Ponto terminauimus. Balthici fermè domini, idoneâ littora noſtris claſsibus præſedimus, nonnulla ex pacto, conceſsâ in id prouinciâ, ſocijs cuſtodienda tradidimus. A Neſtro, longè

Breuiarium rerum in Polonia ſub Sigiſmundo III. geſtarum.

latèque

latèque ſub motis pulſiſq; Tartaris, primùm vaſtâ deſertâ, & immanes ſolitudines effecimus, mox eaſdem, vltrà quinquaginta milliaria inductis habitatoribus occupauimus poſſedimuſque. Tranſyluaniam, Valachiam, Moldauiam, noſtrum donum aut beneficium in alios habuimus. *Secundarum.* Quin mira auſi & vix credibilia conſecuti, Turcarum ſinus, portus, littora, inſulas, armis perluſtrauimus. Fæcundiſſimos agros, vrbes incomparabiles, & inter Aſiæ clariſsimas cepimus, diripuimus, accendimus. Sæpè cum metu & pauore ex muris Conſtantinopolis conſpecti fuimus. Moſchouiam, quod legati noſtri tractati ſunt inſolentiùs vno acceſſu atque aduentu ſubegimus, fines & propè hominum cælum in ipsâ egreſsi, ad ea, quæ ſolitudini, vaſtitati, niuibus, frigoribus, feris, nocti tantùm & tenebris ſuperfuerunt vincendo deuenimus. Maximum illarum gentium Imperatorem, Baſilium Suſcium, cum Ioanne & Demetrio fratribus, captos vinctoſque, ſupplices ad pedes noſtros demiſimus. Terribilem cunctis gentibus, infinitâque multitudine limen iam regni tenentem Otthomanorum exercitum, celeritate incredibili, non modò ſine clade, ſed nè cùm detrimento quidem vllo, à regno noſtro repulimus, eiecimus, fugauimus.

uimus. Cæſarem Oſmanum, à deſperatione ad fugam, ab hâc ad dolorem, tandem ad fæda fata mortemque, miſeriorem neſcias, pudore vel damno, compulimus. Hæc tamen aliaque, exterorum fide, ni recenti hominum aſpectu & memoriâ, abſoluta fuiſſent, ciuium verò ipſorum votis maiora, vt pronior nobis fortuna dederat, ita eadem, hæc ipſa velut repoſcendo recipiendoque, adeò nos lacerauerat, vt vix locus maneret fidei famæque priori. Nihil deinde immotum, nihil tranquillum, nihil in eodem ſtatu fuit. Extra amiſſa ſunt, quæcunque affectauimus, nec vlla nobis vtilitas inde aut gloria manſit, niſi quòd habita erant. Intus, ferrum inter ciues ſtrictum eſt, armaque ab exteris in nos ipſos verſa. Ortæ confœderationes, cùm ijs queſtus, lamenta, execrationes populi, atq; ex victorijs fortuna victi regni. Exhauſtum auro & argento regnum. Coſacorum inſolentiâ ad bellum vſque commota, armiſq; compreſſa eſt. Fæcundiſsima Rusſiæ Podoliæque ora, continuis & vix in vllâ ſeculorum ſerie, auditis atrocioribus Tartarorum incurſionibus attrita & euaſtata eſt. Minor Polonia finitimorum diſsidijs belloque toties exterrita, Maior hoſtium preſſa veſtigio, lacerataq; eſt. Liuoniæ iterum iniecta manus, ademptaque eſt.

Aduerſarum.

Concussa nutauitq; Lithuania. Prusia, sui maris vorticibus circumacta, propèque absorpta, abrupto Capite, amissis praeclaris arcibus vrbibusque, opulenta portoria vectigaliaque, alteri trans mare concessit Domino. Adeò cum inuictos, & insuperabili potentiâ nos praestare putaremus, vix exitium perniciemq; vitauimus, neq; priùs ad sublime fastigium culmenque, nomen nostrum & fortunam perduxisse, quàm eodem tempore, propè ad finem quoque, nos ipsos peruenisse sensimus. Nisi ne soli meruisse videremur, paria semper componendo fortuna, ab eâdem minimè in alijs quoq; temperauit sibi violentiâ. Si enim referre fas est, & insectatione gaudioq; procul, in socijs malorum de illâ queri, plus quàm respondentia nostris vidimus, in Germania exempla, hoc quoq; in ijs vnum mirabile, quòd grauiter pressa, citò se erexit, iterumque lapsa citò concidit. Descientia, seq; velut à suo capite auellentia duo maxima membra regnaq;. Expetitos & consalutatos, per summum nefas in ijs, alienos reges. Delatos vtriq; fasces, imposita iam alteri regni insignia. Imperium, quod ad nomen olim venerabile, victoris domitorisque gentium populi, propèq; id euasit fastigium, vt spernere quoscunq; potuisset, à ciuibus suis ex-

In Germania res gestae sub Ferdinando II.

teris

teris in prędam permiſſum populis. Accitos atq; à Neſtro Pontoq; in ipſum ſub ſignis perductos, barbarorum Scytharumque exercitus. Pacificatum, cum eo qui id fecerat, maiori quàm aut hoſti, aut rebelli præſtari ſolet, fauore, conceſsis illi tùm alibi, tùm in Sileſiâ duobus Ducatibus, ipſoque recepto pro imperij, cui hoſtis fuerat, Principe. Iam Bohemiam Pragamq; variè poſſeſſam & ſæpè amiſſam, prout hæ vel illæ partes inualuerant, his illiſuè in pretium victoriæ tantùm cedentem. Tùm ſuſcitato iterum bello, ex reliquijs prioris, aucta renataque ſæuiora mala. Et receptos in beneficia, & auctores beneficij, velut pæniteret fidei opiſuè, quæ ſanctiſsima priori bello neceſſitatique præſtiterant, alios cùm ad auxilium poſcerentur, ſuis ſe locis prouincijſq; concludentes: alios dubios medioſque ex proprijs vſibus reſpectuque commoda ſua diſponentes: alios propè in eadem mala, cùm ijs & quibus peſsima, & quibus immodica cupiditas erat, deflectentes. Quâ animorum varietate diſſenſioneque, nihil & Orbi & Chriſtianitati, contingere potuiſſet funeſtiùs, niſi FERDINANDVS Cæſar, ſæpè fortunâ, ſemper animo maximus, immotus & inconcuſſus, magis causâ & iuſtitiâ, quàm arbitrio votoque, amicorum & inimico-

Quid censeas? niſi verſum fuiſſe per Europam orbem rerum.

rum, felix ad ſuum diem, & victoriæ perſeuera-ret maturitatem. Vt abunde ex his cognoſci poſsit, nihil difficiliùs etiam in ſummo poſitis imperijs accidere poſſe, quàm vt perpetua ſint, neque ſe viribus ſuis fælicitateque cædant. Siue hoc quoque noſtrum fatum, ſeu viciſsitudo rerum, & fatalis vel neceſsitas, vel pœna fuit, dedimus profectò eodem breuiſsimoq; tempore, grande varietatis & inconſtantiæ documentum ac exemplum, multique paucis annis, qui ſolùm è vitâ vnius hominis, pro imperio eximi poſſunt, magnis bonis, magniſq; malis ſuperſtites, vtraq; tàm citò affuiſſe, effugiſſeq; miramur. Quantalibet tamen inconſtantia, & varietas fortunæ concipiatur animo, profectò niſi magnitudo vitiorum magnitudinem fortunæ, æquaſſet pariter & perdidiſſet, nunquam ab illâ labaſſemus, imò ne laboraſſemus quidem. Mores cum aliquâ parte claudicant, fortunam nequicquam inconſtantem mutabilemque accuſamus: donec illi manent aut redeunt, ipſa iterum redit aut immutabilis eſt. Quod ſæpiùs experti ſumus. Memorare enim poſſum, vt illuſtriora quæque & ex dignitate, arctis & aſperis rebus patrauimus; quibus in locis (quantula manus?) immenſis hoſtium copijs circumuenti, velut ad certam iam mortem

Difficilis in perfecto mora eſt: naturalitaterq; quod procedere non poteſt recedit.

Diuitiæ & auaritia, abũdantes opes & voluptates deſiderium pereundi perdendiq; omnia inuehunt.

tem

tem testamenta conficiendo, incredibiles victo-rias retulimus; quoties parua in spe, maximo in terrore positi, equis, viris, pecuniâ amissâ, fame, siti, frigore, peste oppugnati, non hosti neq; naturæ succubuimus; quoties inter omnia inimica infestaque, procul à patriâ, ab omni ope & auxilio, in campis apertis & patentibus, munitores quàm domi, quàm clausi intra muros fuimus. Etenim cùm multa ad virtutem excitant eriguntque, tùm præcipuè necessitas eam generat, periculum & formido exprimit, aduersa, etiamsi cætera desint, ipsa docent. Quippe quò attentiùs, eò firmius agitur, constantiam felicitas dissoluit. Quantò hæc maior, tantò ex eâ vitia alia alijs deteriora succreuerunt veneruntque. In quibus quod primum postremumuè quis recenseat? Certè, omnium rerum quasi ad legem, ad malos mores mutatio, simulque fortunæ in regno, velut quoddam iustitium secutum est. Adhæc, vbi dulcedo otij, voluptas, tùm pro cuiusq; commodo ambitio, respectus, spes, amicitia, gratia, patrocinium enata quoq; & collecta fuêre, alius alium respectando, atq; intenta mala, velut fulmen optando se quisq; tantùm ne attingerent, in vacuam orbamque rempublicam, impetum eorum, qui diu hanc occasionem præstolauêre conuertimus,

Inopia & necessitas virtutis nutricula.

Venena magna rerum publicarum.

uertimus, prædæq; tandem ijs fuimus, quorum ſpolia, cum laude noſtrâ, à tot annis oſtentauimus. Quorum quidem malorum, vt reddenda nobis aliquando ratio, & velut reis cauſa dicenda eſt, ita hoc cautiùs diligentiuſque tibi VLADISLAE DOMINICE agitandum eſt, quò maior te difficultas circundat, non ex fortunâ tantùm publicâ, ſed etiam tuâ. Nam in alterâ non maximis adminiſtrationibus præeſſe non poteris, qui Patre & maioribus Senatoribus editus, ad conſequendos ſummos titulos & honores, hoc etiam tecum, quod Princeps es, affers pro merito: in alterâ iam tantò maioribus illecebris & periculis expoſitus es, quantò tibi plura licere ſcimus. Altera te probabit officio: altera ſecernet exemplo. Ex alterâ rationem daturus es, tanquam particeps ſociuſque aliorum: ex alterâ, tanquam ſolus. Arduum vtrumq; ac difficile, & quorum vnumquodq; peculiarem à te laborem exigeret, niſi quòd iam didicimus, eandem propè rem eſſe, agere bonum Principem, & bonum Senatorem, præſtare ſe ipſum laudabilem, & laudabilem ciuem. Nam licet ad gloriam multùm reſpublica conferat, vita priuata plus. Hæc in alteram vim ſuam impendit, hæc præit, nec modo, quid in futurum ab aliquo exigi aut ſperari

Qui eminent inditiis hominum exponuntur.

Bonus vir & ciuis natura, iuncta & indiſcreta ſunt.

Virtus primos à vitâ priuatâ progreſſus accipit

ſperari poteſt oſtendit, ſed eam quoq; præclaris facinoribus adſtruit laudem, quòd illa fermè inchoat. Ita altera per ſe indigens, alterius auxilio eget. Quanquam tu nobis minimè priuatus videris, cui tantùm intereſt, Principem eſſe aut Senatorem, vt Principi detrahas, ſi quid non tanquam Senator facias. Habes tuum proprium forum & curiam, & in eâ hoc quoq; boni, quòd alibi ſæpe participes habendi ſunt culpæ vel gloriæ, hic nemo habēdus præter te ipſum. Omnia tibi præclara & magnifica contigêre, potentia, diuitiæ, opes; adhæc numeroſi clientum comitatus, ſplendidiſsimorum ciuium ad aulam tuam concurſus; iam tot terræ vectigales, tot ſtipendia in finitimis quoque regnis pacta, domi viri, arma, equi, ſumma præterea in tuos poteſtas & imperium, decernas, agas, des, adimas, præponas, mutes, ſtatuas vt lubet, in manu tuâ eſt. Si hæc expendas, nihil iam non in publico agis. Magnam tibi neceſsitatem hæc ipſa circumdant, quibus te vel ad gloriam attollas vel erubeſcas. Neq; enim diuitiæ, aut alia huiuſcemodi, per ſe admirabilia & magnifica ſunt, ſed perinde habentur, vt eorum qui ipſas poſsident virtus eſt. Omnis illarum laus, in conſpectu tantùm eſt, quas ſi quis ſemel vidit, tranſit & contentus eſt,

Virtutis maximus campus in maximis diuitiis.

Non auri ſed virtutis admiratione tangimur.

vt ſi picturam vel ſtatuam vidiſſet. At contra illum, qui tot proſperis circumfuſus, non plus apud ſe illis, quàm vt manerent dignitatis ſuæ ſubſidium, & magnanimitatis inſtrumentum permiſit, virtutem in illis nec alliſit, nec abſcondit, pecuniæ, voluptati, rerumque indicentium cupiditati reſtitit, vt aliquem ex annalium memoriâ, vt cælo delapſum, & requirimus, & miramur, & narramus, perinde atque aliquem, qui Scyllam præternauigauit, nec abreptus eſt, Charibdi conſpectus, nec retentus eſt, Circe poculum bibit, nec mutatus eſt, Syrenes audijt, nec acceſsit. Neque enim quod Poëtæ finxerunt, fortuna ſe ipſa impotens & cæca eſt, ſed tales plerumq; eos, quibus ad vota affluit, efficit, vt primùm ſui, deinde omnium obliuiſcantur, idemq; eius eſt, quod meretricularum ingenium, quæ neminem non ad ſui amorem alliciunt, deinde ſuos amatores miſerè perdunt. Ab huius vi & arbitrio te cuſtodias vindiceſque DOMINICE oportet, hinc virtutis initium ducas, eam maximam poteſtatem cenſeas, vt ipſum te habeas in poteſtate. Foris illa (licet) & circa te abundantiâ, ſplendore, apparatu ſuo ſonet ſeque dilatet, intus non obſtrepat, non turgeat, nihil in te mutet, atq; aliter, quàm in peſsimis conſueuit, faciat

Poëtis quomodo fortuna cæca dicitur.

Fortuna ius in animum habere non debet.

ciat

ciat tuæ magnitudini fidem. Etenim cùm cætera hominis bona, in actione & exercitatione consistunt, hoc vnum in gloriâ solâ, non in factis positum est, laudabiliùsque est, Principem esse, quàm velle videri. Quin alium te esse sentiamus, non quem fortuna ostendit. In fastigio magnâq; salutantium & sequentium turbâ, non superbum & tumidum, vt fastu, odium hominum inuidiamuè prouoces, sed comitate & facilitate amorem & beneuolentiam omnium augeas, tantò altiùs ijs crescendo, quantò te humaniùs demiseris. In viribus & potentiâ, non sæuum & insolentem, vt in felicitatis parte numeres, promptum in quamcunq; iniuriam aut vltionem, sed vim præferas, vt nocere cuicunq; possis, voluntatem, vt nemini. In indulgentiâ fortunæ & copijs, non eneruem & dissolutum, vt luxu socordiauè diffluas ac torpeas, sed ita te geras contineasque, vt nihil in futurum pænitendum excusandumuè habeas. In quæstibus amplisq; redditibus, non auarum & plura appetentem, vt alios atque alios ex finitimorum fundis cespites prædijs tuis affodiendo, vicinos ad auctionem coactos, à finibus tuis procul submouendo, infami aliquo quæstu turpi emolumento, fæneratitio reditu, parùm licitò compendio, illiberali

Humanitas magnæ fortunæ decus & ornamentum.

Quò quisq; plus potest eò minus quantùm potest debet ostendere.

Nunquam ita tẽperatæ sunt cupiditates, vt in eo quod contigit, desinant, gradus à magnis ad maiora fit.

& inhoneſtâ bonorum adeptione, copioſiorem te fore exiſtimes, ſed in eo quod tibi à Dijs contigit deſinas, pro amplâ acceſsione & lucro reputando, ſi opes, quas dederunt, conſtantes & incolumes diu ſeruauerint. Neque enim ſolùm fortunæ ſe ipſum non tradidiſſe moreſque ſuos, glorioſum fuit ac difficile, verùm etiam haud minùs pulchrũ & amabile, prætuliſſe in alterâ alt
Pulchritudo ex contrariis.
erius, & in excelsâ inferioris dotes. Nam neſcio vt multa ad placendum à contrarijs ſuis ornantur, oculiſq; noſtris gratiora ſunt, quæ inuicem miſceri & tamen inter ſe diſsidere fatemur. Sic ornat primos annos, ſenilis prudentia, dulcior eſt pueri vultus, quem ad virginum ſimilitudinem formauit blandior natura, gratior indoles puellæ, cui de non ſuo ſexu, contigit maſculi dexteritas & ingenium: ita pulchrior & amabilior eſt fortuna, quæ inter aurum & argentum, inter palatia tectaq; refulgentia, inter turbas gregeſq; hominum ſe laudantium varièq; impellentium, inter diuitias, per omnes terras & angulos, exaggeratas & diſsipatas, velut omnibus deſtituta, oſtentationem modeſtiæ tincturâ operit, licentiam habet, & ſibi dare neſcit, in ingentibus titulis humilitatem præſefert, à cuius periculo, tantò longiùs abeſt, quantò iam ipſa in altiori

constitit fastigio. Maiores nostri, cùm præclara multa & egregia in ordinandâ republicâ constituissent fecissentque, tùm primam, in arcendâ procul à ciuibus suis arrogantiâ superbiâque curam habuêre. Memores videlicet aliorum, quos in tristisimâ conditione, adeò eius vitij pertæsum fuit, vt vnum id, omnibus sceleribus & facinoribus anteponentes, nec in immani truciq; homine, nec in plurimorum diuersisimorumq; flagitiorum fæditatibus, detestabiliùs concipere eligereq; nomen potuerint, nisi Superbi, coacti in eo, & Tarquinium simul odisse & regnum. Huic malo, à maioribus nostris exæquatione ciuium obuiam itum est. Ducum, Comitum, aliarumq; appellationum vocabula, vt secum aliqui còóptati vel victi à nobis attulêre, concessa sunt & retinentur, cæterùm nomen tantùm & honor mansit, vis ei & libido adempta est. Nihil fœdum externumuè permissum, vt dominentur alteri in alteros, vt quòd vni licet alteri non liceat, vt obnoxius sit Duci nobilis, ne ei sit vicinus, ne eodem itinere eat, ne in eodem foro consistat. Omnes pares esse, & inter amplisimos summosque titulos, vnicam Nobilitatis appellationem antetulêre. Nempe magni animi viri, quibus in suâ terra, denegatis munimentis præ-

Excursus ad æqualitatem & Nobilitatem Polonorum.

Ducum & Comitum honor manet in Polonia potestas cum aliis Nobilibus par.

Nobilitatis appellationem omnibus titulis Poloni præferunt.

Nobilis nomẽ vnde deriuatum.

 sidijsque

ſidijſque natura dedit apertos tantùm & patentes campos, eamq; inſuper neceſsitatem, vt ſecuris & felicibus eſſe non liceat, niſi pariter & fortes eſſent, nomen totum à militiâ parari oportere arbitrati ſunt, iſtâ virtuteq; ſuâ, inexpugnabile vallum & propugnaculum, focis, aris, liberis, coniugibus, patriæ, Dijs ſuis, ſibique facturi. Nam Ducum quoq; olim & Comitum nomen à militiâ natum eſt, quòd præirent ducerentque, atq; ſuo comitatu & ſatellitio, Regum ad bella tendentium, communirent latera vitamq;. Illis, citra affectationem priſca & ſimplex appellatio placuit, vt à militiâ, dando pro patria nomina Nobiles appellaremur, à quâ Ignominiæ vocabulum deriuatum eſt, quia negato nomine, nomen quaſi deleret, faceretq; ignobiles. Scilicet vt qui milites eſſe noluiſſent, ne nobiles quidem & ciues eſſent, quodq; ipſi, patriæ non fuiſſent, eorum quoq; patria propè nulla eſſet. Nulla inde inuidia cupiditaſuè in exteros titulos. Anni ſunt non admodum multi, Adolphus Comes ab Althan, inſtituto nouo Equitum, à Duce Niuernenſium aduerſùs Turcas ordini, pubem quoq; Polonam coöptatum venit. Paucis id, vt nouum, ſpecioſum fuit, plures, quod offerebat, non acceptauêre. Quippe externæ ambitioni ſueto, non

Ducum quoq; & Comitum vnde appellatio venit.

Nobilitati Ignominiæ vocabulum oppoſitum.

Equitum Niuernenſium inſtitutio & ordo in Polonia non acceptatus, A. D. 1620.

non erat notitia noſtri, apud quos nihil in regno magnum præter Nobilem, nihil in Nobili præter virtutem, fruſtraque eos ad inanes & irritos titulos trahi, qui ſummos in patriâ exæquarent. Igitur vt commune nomen, ita & alia, nec vlli præciſam ſpem aut aditum, ad ſummos honores voluêre, ſed quamuis inopi, dummodo fortis eſſet & ſtrenuus, pace aut bello bonus, patere cum potentiſsimo quocunq; in republicâ adminiſtrationes, officia, imperia, Pontificalia æquè ac Senatoria inſignia, in commune diuitem & pauperem ſententiam ferre, æquè liberam poteſtatem ſuffragij, in legibus ferendis, antiquandis habere, de maximis iuxta ac de minimis rebus diſceptare, cauſam capitis & fortunarum coram ijſdem magiſtratibus dicere, cenſus, deſcriptiones, tributa publica ex æquo perferre, omnes deniq; in vnum populum, vnum ius, vnam rempublicam, vnum nomen & appellationem coaleſcere, libertatemq; non in vno ordine, non intra paucorum domos concludi, ſed per omnes ciues, omnes nobiles æqualiter diffundi, totiuſq; regni poſſeſsione gaudere voluerunt. Quod profecto, antequam alteri alteros vincere, aut quouis modo anteire concupiuimus, magno vſui nobis commodoq; fuit. Antecedebat humilem

Dignitates,

Honores,

Suffragia,

Forum, Cenſus, Tributa,

Nobilibus & Ducibus eadem & paria in Polonia.

Ex æqualitate maxima interciues æmulatio.

potens non remouebat. Iura eadẽ omnes æquabant, virtus à cæteris ſeparabat. Hoc quiſq; habebatur maior, quò melior. Quantò plùs conſilio & experimentis cognitus, tantò promptiùs honores aſſequebatur, tantò magis in honoribus æquales anteibat, tantò plùs gratiæ, auctoritatis, plùs notitiæ & nominis apud nobilitatem ſibi parabat. Res quoq; noſtras, eo pacto magis quàm bellis auximus: plura bonis moribus quàm viribus effecimus, dum captiuos quoque ſanctè habuimus, dum contumeliam ab hoſtibus etiam abſtinuimus. Non ſimultates modò aut odia cum finitimis, ſed atrocia bella finiuimus, multos ex infeſtis hoſtibus, ſocios fideles ciueſque noſtros effecimus, amicitiam & concordiam, ſanctiorem quàm ex fœderibus aut iureiurando habuimus, tot prouincias genteſque, quotquot aut vicimus, vt pari libertate haberemus, aut non vincendo in ſocietatem accepimus, diſpari genere, diſsimili linguâ, alias alio more rituq; viuentes, in noſtras tranſtulimus nationes, Rußiam, Podoliam, Lithuaniam, Liuoniam regno noſtro adiunximus. Ex quibus Lithuania, in æmulationem & ne inuicem confunderetur, ſuis ſe in pace honoribus, in bello officijs fide bonâ, conſenſuque noſtro, à nobis ſeparauit diſtinxitque.

Exterarum gentium & Prouinciarum nobiſcum coniunctio.

Lithuanorum cum Polonis vnio.

Inde

Inde tot illic, quot apud nos magistratuum officiorumq; vocabula, Palatini, Castellanei, Cancellarij, Marschalci, Duces, terræ quoq; discretæ, quas bello tueantur, Senatus pars ex illorum gente, alia ex nostrâ, vnus tamen populus, vna respublica nobiscum facta est. Tunc domi nobis solida pax & quies fuit, tunc aduersus exteros floruimus. Quorum etiam nunc multos viritim vltròq; venientes, post edita virtutis experimenta, spectatam in bellis fortitudinem, pro ciuibus nostris recepimus, ex Italis, Germanis, Hungaris, quorum nunquam nos pænituit, & posteri eorum apud nos manent, nec amore nobis in patriam fideq; concedunt. Quin maximis titulis desiderium nostri & reuerentiam fecimus, magnæque nuper gloriæ nobis fuit, duos Valachiæ Duces, consortium & Nobilitatem nostram, alterum expetiuisse, alterum suscepisse, seq; inter ciues & Nobiles, incolasque regni nostri posito Ducatu inseruisse. Atq; ego quam opportuna & salutaris, à maioribus nostris inuenta relictaque æqualitas hæc fuerit, aliâs edisseram. Nunc eò vnde abij reuerti placet.

Nobilitatis Polonæ ab exteris affectatio.

A Ducibus Valachiæ, Gratiano & Bernawski.

Sed per cæteros mortales illud pro vero constat, reque compertum est, quibus diuitiæ & similia insperantibus accidunt, insolentiùs plerunq;

Vetus an recens facti diuites nobilesuè mitiores & modestiores.

runq́; & immoderatiùs in ijs, atq; illi, quos statim ex maioribus suis nasci in ista contingit agitant. Nam cum vnaquæq́; & magna & humilis fortuna, sua habeat feratq́; vitia, deteriora sunt, quæ altera secum in alteram transfert, & velut inuicem cum eâ confundit miscetque. Qui diuitias, decus, honorem in familijs ex vetusto obtinent, placidioribus malis, nec ita multis premuntur. Idem tenor fortunæ, & perpetua in domo honorum consuetudo, superbiam amouet, quæ sponte recedit, non habendo, in quo se, vt nouo attollat. Comitas & humanitas ijs eò promptior est, quòd priùs nulla præiuit humilitas, de quâ tunc erubescerent. Auiditati & rapacitati vires auferunt parata abunde & velut reposita à maioribus bona, ad quæ improbis magistris adhuc opus ijs non fuit, paupertate & desiderio. Velut feræ, diuturnâ consuetudine & vsu hominum mansuefactæ, à notis mucrones vnguium in corporis vaginas condunt, & morsum aciemq́ue retrahunt; ita in hoc genere vitæ, vitia, diuturnâ familiaritate fortunæ edomita, mansuescunt & exarmantur. At contra ij, qui maioribus fatis, quàm ex parentibus nascendo comparuêre, potentiam aut diuitias adepti sunt, eò minùs à maioribus vitijs immunes & liberi fiunt. Primùm,

In illustribus & vetustis familiis editi minora vitia obtinent.

Nouitas & auiditas rebus pretium facit.

Ex paupertate quos in opes fortuna intrusit deteriores sunt.

metu nouiter parta amittendi, in quo velut subsidiariam cohortem, & asseclas comitesq; prioris conditionis retinent aluntque solicitudinem anxiam, metum illiberalem, custodiam peruigilem, auiditatem ad quodcunq; ostentatum emolumentum semet acuentem, tùm si quid forte depereat, aut intertrimento aliquo imminuatur, si seruando non seruetur, si amicus, si propinquus, vtendum, mutuandum, appendendum roget, dolorem, odium, indignationem, iracundiam, furorem. Deinde, præcipiti & festinâ destinatione, quàm primùm altissimè emicandi, propagandique opes ad centesimum vsq; nepotem, quæ sæpè in primo redundantes etiam atq; superfluentes stirpitus exolescunt & deficiunt, immanesq; non raro census alienis nutriuntur hæredibus. Quippe pleriq; mortales, in fortunæ nouitate præterita magis meminêre, & sicut in aduersitate, infelicissimum genus miseriarum esse putant, fuisse aliquando felices, ita in secundis rebus cùm affluunt, hoc ipsis maximum facit tormentum, quòd olim fuerunt egentes. Nam primæ suæ sortis non immemores, illamq; sæpiùs recolentes, ne rursùs in eandem ipsi hæredesuè recidant metuendo, tantò magis intenti parant, festinant, ad quamcunque spem ostentatumq;

Metu nouiter parta amittendi.

Festinatione opum propagandarum.

Metu in priorem sortem recidendi.

Aduersus quæ sibi prospiciunt.

Auaritiâ, &

tumq; commodum se animumq; fatigant. quibus lucri hausti saliua, non tàm adfert suauitatem rerum partarum, quàm intendit maiorem acrimoniam quærendi. Porrò alij, prout diuitiarum alia adhuc natura est, seq; ambitio aut insolentia adiungit, quanquam generosiori animo à sordibus abstinent, ad alias tamen artes, haud magis honestas, fœdæ contrarietatis studio, seruiendo auaritiæ in ostentatione magnificentiæ se vertunt transeuntque. simplices & modestissimos lacessere, varijs iuris prætextibus, legitimis quandoq; & ciuilibus, verùm rapacibus & iniquis circumuenire, terrere, bonis euoluere, fæda crudeliaq; facinora in infirmiores edere, alios atq; alios ag ' vicini cespites agro suo affodere, vltrà fines accolas exigere, eò potiùs respicere quantùm alijs facultatum superesset, quàm quantùm sibi tam subitò & de nihilo accessisset, ad bonum & honestum nisi ex vtili & conducto venire, impotentissimis potentiorum voluntatibus, annuere, subscribere, tribuere, leges, æquitatem, diuina & humana omnia mercede deserere, resoluere, rescindere, vti foro, obsecundare fortunæ, magis magisq; in dies malè faciendo & dicendo crescere, dissimulare, conniuere, obaudire, demùm etiam obsurdescere. Quorum opes, si ad calculum

Scelere,

opprimendo infirmiores.

obsequendo potentioribus.

Pro thesauro carbones.

calculum reuocarentur, talentum in ijs vnum, auri veri probique non inueniretur, quod innocens, quod ſuum poſſent dicere, quod nemini ereptum eſſet, quo ampli & magni, ſine alterius diminutione apparerent, de quo aut alij ingemiſcere, aut ipſi erubeſcere non poſſent. Atque hæc & alia, quanquam nullum eſt vitijs cum virtute conſortium, tamen inter ſe circa extrema coïre, & vtrorumq; fines in vnum conuenire deſinereque oſtendunt. Nam diuitias, honores, & plura alia, & bonis & malis rebus parare licet, multi pro gloriâ & famâ, non virtute tantùm, ſed largitione magniſq; diſpendijs certarunt, tyranni ſecuritatem, non minùs ſeueritate & timore, atq; alij amore & reuerentiâ quæſiuerunt, niſi quòd hæc breuia & fluxa erant, facileque eos vincere potuit, quiſquis voluit imitari. Quin inter diſparia & diſsidentia, inuenitur quædam affinitas & ſimilitudo, alterumque ſæpè alterius velut vicem gerit, eiq; reſpondet. Ita pauperi & diuiti, par propè eſt ſolicitudo, ſimilis triſtitia timorque, alteri vt acquirat, alteri vt ſeruet, alteri quòd minùs habet, alteri quòd ampliùs cupit, alium quòd neceſsitas exagitat, alium quòd ipſæ diuitiæ, alius cùm iniuriam metuit, alius cùm inſidias, alter cùm non habet, quod poſt

Fines virtutum & vitiorum.

Affinitas & ſimilitudo.

ſe ijs relinquat quos amat, alter quòd relinquere cogitur ijs quos non amat. Verumenimuerò DOMINICE cognomento hoc propè gentilitio digniſsime, non ex iſto genere Principum, aut ex hoc carcere hominum es. Non te cupiditas vlla aut ſordida computatio Dominum fecit. Deorum immortalium munere, diues ſtatim felixque in lucem veniſti, atq; ea, quæ alij, multis vix totâ vitâ conſequuntur conatibus, parta parataque à maioribus accepiſti. Intelleximus etiam, vt ſatis maturè & propè ab ætatis exordio, velut generoſioris arboris planta, quæ ſtatim cum fructu eſt, copias bonaque tua diſpenſare, quàmq; bono omine cæpiſti. Nam cùm exercitui ex Pruſsiâ reduci, ſtipendium ex ærario perſolueretur & defeciſſet, illud tuâ pecuniâ ſuppleuiſti. Quo quidem facto triſtiſsimis his temporibus, multiplex nobis bonum peperiſti. Et promptâ beneficentiâ, neceſsitati reipublicæ ſuccurriſti, & certâ ſecuritate militem à ſuetâ confœderatione propeque iam initâ continuiſti, & conſultâ prouidentiâ regnum plebemq; à direptione & calamitatibus imminentibus exemiſti. Succurriſti ſumptu tuo neceſsitati reipublicæ, non vberiùs ab eâ beneficijs auctus cumulatuſq;, non ampliùs ab eâ repoſcendi recipiendique voto ac ſtudio,

Senium & Canicies familiæ in ea opum & dignitatum in Dominico.

Ærario publicо à Dominico ſuccurſum.

Leopoli, 1631.

ſtudio, ſed pretium vnum tantùm tibi fuit, benè feciſſe, dediſſeq; pecuniam tanquam non reuerſuram. Serua hunc tenorem vitæ rationemq́; propoſiti, placeat tibi ſemper ſimile factum, & inter innumera decora, ad quæ tua te prouehit indoles, non poſtremam laudem exiſtima, vt virtutem comitem, ita fortunam pediſequam habere. Sequatur hæc quò iuſſeris, ſplendoremq́; tuum non cumulis diuitiarum opumq́ue, ſed vſu & fructu ſuo augeat & extendat. Quippe aurũ argentumq́ue ſimilia ſunt terræ, vnde eruuntur, ſi iaceant, ſicut vſu creſcunt ad pretium, ita velut defoſſa iterum & ſepulta manent, vbi tenacium manibus clauduntur. Multa quæ in humili & mediocri fortunâ laudem habent, in magnâ & excelsâ non perinde probantur. Frugalem eſſe & rei quærendæ ſtudioſum, honeſtum eſt & laudabile ei, qui hâc diligentiâ neceſsitates ſuas cuſtodit, ſe ab egeſtate tuetur, accepta damna reficit reparatq́ue, inualidæ ſenectuti otioq́ue reponit, qui futuri incertus in diem tantùm acquirit, quem adhuc tenet timor expertæ miſeriæ. Nam quemadmodum ſapientis eſt, aduerſa & fortuita ſi eueniant, magno animo ſuſtinere, ita dementis, ipſum ſibi frugalitate & diligentiâ, non facere bonam conſtantemq́ue fortunam. At illum, cui

Auro, argento, pretium vſus fa[…]

Frugalitas virtus priuatorum.

Turpis in Principe.

cui ex frequentibus & latiſsimis villis quotidie ſecuræ congeruntur opes & redditus, cui plena horrea cellæq́; tutos ſpondent annos, hâc virtute nomineque minimè laudari audimus. Frugi hominem dici, laus eſt priuatorum, Principum potiùs crimen, nec turpior res eſt, quàm Dominus in damna lucraue nimiùm curioſus. Quæ res adeò illiberalis & inhoneſta maioribus noſtris viſa eſt, vt relictis muris & vrbibus, Nobiles non commercijs lucriſuè rem quærere, ſed quæſtum, qui crimine careret, procul ab vrbibus, à contactu vitiorum, ex falce aratroq́; capere voluerunt, deteſtati quaſcunq́; ſordes animorum, in ſplendore natalium. Quorum animi excelſi, documenta tunc magna fuiſſe accepimus, quòd quantò maiorem gloriam, pace aut bello quæſiêre, tantò rem familiarem opeſque ſuas contractiores fecêre. Sæpè quò ſtudium eorum in rempublicam clariùs exiſteret, priuato ſumptu conducti ab ijs milites, repreſsi hoſtes, ſuſceptæ & ad exteros legationes, & ab exteris ſuſcepti ſplendidè ac magnificè legati ac illuſtres hoſpites, ſtructa in honorem Deorum magnifica templa, ædificata Gymnaſia, redempti è ſeruitute Turcicâ Scythicâque capti, promoti ad rempublicam, aut proprijs redditibus amplificati magni viri magnaque ingenia,

Commercia & lucra Polonis antiquis inſueta & inhoneſta.

Eorum celſitudo animi, & liberalitas magna: rariſſima hodie.

ingenia, donatæ in præmium mercedemque bonorum reipublicæ, amplæ poſſeſsiones & patrimonia. Quippe laudis auidi, pecuniæ liberales erant. Donare, quàm accipere beneficia, dando ſe munificos, quàm exigendo acerbos eſſe malebant, magis id laborare, vt alij ſibi deberent, quàm ipſi ea repetere, magnitudinem ſuam in addendo reipublicæ, non demendo oſtendere, gloriam ingentem, diuitias honeſtas cupere. Erat enim tunc in more omnibus priuata munificentia, reique publicæ pecuniam, cùm contigerat, tantò modeſtiùs diſpenſabant, quantò ſibi plùs licere de ſuo, quàm de publico credebant, & cùm de reipublicæ commodis, nihil tunc de ſuis cogitabant. Igitur quàm inopes pecuniæ, tàm diuites gloriæ fuerunt: nihil præter ferrum dextraſq; & animum habuêre ditiſsimum, auro æquè ac ferro inexpugnabiles & inuicti: magnificentiæ æmulatio inter eos maxima, auaritia minima erat. Etenim hæc vbi ſemel pectus hominis ingreſſa fuerit, varijs venenis imbuta, innumeras vitiorum cohortes, quæ deteſtabili deuotione ſibi famulantur, eò infert inducitque, ſuperbiam, crudelitatem, perfidiam, omnis pietatis & honeſti obliuionem, Deorum hominumque contemptum, & alia quàm plurima, neſciens recepta eſſe alicubi

Auiditas gloriæ, aliarum rerum parit contemptum.

Auaritia vitiorum fæcunda mater.

Eius agmen.

se alicubi solitaria, quæ insuper eâ quoq; pœnâ mulctata est, quòd quicquid alijs rapit etiam sibi negat. Et profectò magnificum velle videri, & sumptibus parcere, domi se contrahere, foris extendere & famam quærere, rem familiarem arctiùs habere & auaritiam sordesque non incurrere, opinione asperiùs est. Nam alijs alia licentia est, Principum conditio, quò se à priuatâ & humili fortunâ celsiùs, eò mores quoque suos ab eâ longiùs remouet, qui aliquando in alterâ, quanquam sunt virtutes, in alterâ tamen habentur pro vitijs. Quæ inter priuatos & pares laudabilis est, in Principe pro ingratitudine habetur retributio meritorum, quantùm supra eam præmium quoq; conferre, & amplius tribuere potuisse, quàm ab inferiori acceperat, credebatur is, cui opulentior altero fortuna contigerat. Quippe æquitas in beneficio inter eos videri non solet, inter quos non est æqualitas. Vt enim felicitatis est, quantùm velis posse, ita magnitudinis animi & generositatis, velle, quantùm posis. Etenim cùm liberalitatis duo sint genera, vnum dandi beneficij, alterum reddendi, demus necne in potestate nostrâ est, non reddere nemini non qualicunq; bono viro licet. Sicubi enim, in diuitijs oppidò sunt virtutes excelsæ & magnificæ,

Magnificentia cum parcitate non consistit.

Gratitudo, alia Principum, alia inferiorum.

In benefaciendo agros fertiles imitari debemus, qui multo plùs reddunt, quàm accipiunt.

Diuitiæ ad magnas vir-

quæ

quæ cuiusque præstantiam & magnitudinem, monstrant deteguntque, per quas magna fortuna, communi non contenta latissimâ viâ ad gloriam prouehitur. Illic temperantia, dispositio, munificentia, splendor, magnificentia, campum habent latè patentem. Nam sicut diuitiæ similiaque, bonis perinde ac malis, ignauis & strenuis, communes sunt & promiscuæ, ita dignum ab alio, non nisi animus eius qui habet & vsus distinguit. qui nouit vt optimè collocari posint, quo amplissimè fænore extendi, in quo vera & sempiterna sit earum gloria: non ijs molliri, non languescere & marcescere, non abuti per turpitudinem, non eas per superuacanea & inania trahere, vexare, profundere, per luxuriam populari: sed hunc ijs demereri, illi beneficium reddere, huic succurrere, alterius misereri, alium tueri, alium in notitiam hominum producere, nec eas sordidè claudere, nec prodigè spargere, non casu & velut in lusu talario, damnoso iactu emittere, vt manu ad indignos excidant, sed consilio & iudicio distribuere, vt vtiliter & honestè exeant, scire donare non perdere. Quemadmodùm enim magnæ laudis est, contemnere opes si non habeas, ita non minoris, easdem scire ad beneficentiam liberalitatemque conferre, si habeas.

tutes viam faciunt patentem.

Honesti & laudabiles opulentiæ exitus.

Errat, qui facilem rem esse existimat donare.

Præmia bonos & malos pariunt faciũtq́;

Quæ res vt pulchra Principi & glorioſa, ita vbi in contrarium deflexit fæda & exitioſa eſt, ex quâ grauis protinus ad quàm plurimos ſerpit vitæ peſtis. Nam perinde omnes res laudantur atq́; appetuntur, vt earum vſus eſt, turpeq́; & honeſtum homines expetunt vel fugiunt, prout illis hoc vel illud benè aut malè cedit. Quippe virtus præmio & honore alitur, vbi iſta ademeris, ipſa per ſe amara & aſpera eſt, donec ſpreta & egena eò deficiat, vnde inertiæ malitiæúe merces venit. Vt non abſurdè à quopiam, rerum humanarum curam, duo tantum numina agere, neque alios Deos in homines vim habere creditum ſit, niſi Beneficium & Pœnam. Abſq; enim his, neque priuata res, neq; publica, neq; domi, neq; militiæ adminiſtrari rectè poteſt. Quanquam inter iſta alterum, vt homines à delictis prohibeat, acerbum tamen & ſæpè crudele eſt, quo vrbes magis vaſtantur, quàm mores corriguntur, libidoq́; in bono exemplo graſſandi ſibi quandoque occaſionem in innocentes facit. Ea vera & ſimplex via eſt, quàm ſupplicio quenquam cogere, prouidere potiùs quæ virtuti debentur, ea ne mali & indigni poſsideant. Nunquam enim malè donata ibi conſiſtunt, vbi collocantur; ſed ad datores velut reuertendo, vt ex bonis honori & gloriæ,

Manus larga induſtriam & virtutem nutrit.

Duo Dij in terris, Beneficiũ & Pæna. Democritus apud Plinium lib: 2. cap: 3. Solon his contineri reſpublicas existimauit.

Præmium potentiùs potiusq́; omni pœnâ.

riæ, ita ex malis dedecori & pænitentiæ offerentibus fiunt. Quippe quò per socordiam iudiciјuè inopiam Principes in immeritos proniores sunt, eò fædiora admittunt, nectuntq; in se quâ valeant trahi catenam. Nam & semel ad benefaciendum malis inducti, similibus spem de se faciunt ijsque animum accendunt, & sæpiùs obsecuti vltrò licentiam illis potestatemq; in se tradunt & concedunt. Tales enim gratiam illorum quoquo artificio obsequioué adepti, postquam eâ sibi aliud post aliud munus peperêre potentes iam gratiâ, primùm amicos & clientes suos vel quos in rem suam idoneos fore existimant Principi inserere, non nisi diuturnâ sibi obseruantiâ & lenocinio probatos auctoratosque suggerere, submittere: deinde vbi plures eiusmodi haud dubia instrumenta partium suarum à lateribus, ab auribus eius fecêre, vnâ cùm ijs ad omnes admissiones atq; aditus Principis, diligentes stationes atq; excubias agere, neminem ad eius penetralia nisi obstrictum, nisi excussum, admittere, nisi redemptâ commendatione insinuare, consulta, edicta, in rem suam suarumq; necessitudinum concipere, ampliare, temperare, ferre, agere, decernere, rescindere, vt auaritia aut studium tulit, alijs feroces instare, negotium facessere, alios

Sensim & per gradus vni malo indignoq; beneficia collata plures admittunt recipiuntq;.

Spes improbissimas consequuntur insperata consecuti.

quanquam flagitiosissimos ex reis eximere, immunitatibus iuuare, omniaque ad se trahere beneficio vel terrore. Ita plerunq; euenit, vt quem dominum esse deceret, is supra se dominos plures habeat. Igitur ab his similibusque, tantùm in conferentes crescit inuidia infamiaque, quantùm ista licuit ipsis cauere, quos constat potuisse ex omnibus optimos eligere debuisseque velle quæ cuncti debent optare. Deinde, vt nihil non præposterè geritur, ita nihil non pessimum exitum habet, in quo videre licet tot turbines, caligines, naufragia, secus admissa, inter quæ Principi contingit horrere ad suos errores, & quam condidit potentiam sæpè metuere. Vt minimè mirandum sit, quòd à quibus quotidie in peccata aliorum conscribuntur supplicia, ab ijs quoq; per tristes euentus metusq; à Dijs pænę expetuntur maximè, & apud homines quanquam non voluntas, error eorum veniat in crimen & infamiam. Delicta verò semel permissa disseminataq; inter tam multos, vix vllâ in posterùm antiquantur exolescuntq; ætate aut æui senio, sed initio reciprocantia tamdiu se inferunt, donec postea desinat remedio esse locus, quæq; facinora erant mores fiant, quibus deinde virtutes nec sperare licet, nec habere prodest. Rerum enim initia

Inconsultus fauor & beneficium turpitudini aut culpæ accipientium illigat Principem.

Ita est, boni mores breuis vitæ sunt mali immortales.

plerunque in aliquâ poteſtate ſunt, vlteriora nos vi ſua rapiunt, nec regreſſum relinquunt. Vnde pro vero habetur illud, Meliorem eſſe rempublicam & propè tutiorem, in qua Princeps malus eſt, eâ, in quâ ſunt amici Principis mali. Nam vnus malus, poteſt à pluribus bonis corrigi & emendari, multi autem mali, non poſſunt ab vno quamuis bono, vllâ ratione ſuperari. Adhæc, vnius vitijs, mors ſaltem medetur, poſſuntq́; à ſucceſſoris moribus ſperari meliora: multorum labem non vnius fatum eluit, nec ſæpè multorum poteſt, cum ab aliquot, omnes iam idem facere didicerunt. Nam bona facile mutantur in peius, in bonum ecquando vertuntur vitia?

Apud Lampridium in Alexandro Seuero.

Sed ego plerosq́ue Principes, à ſe ipſis magis deſtrui decipiq́ue, quàm ab alijs arbitror, & inter frequentes ac præcipuas cauſas eſſe exiſtimo, amorem & æſtimationem ſui. Id quod à Sapientibus veteri verbo comprobatum eſt. Neminem lędi niſi à ſe ipſo. Sicut enim cibos, qui plurimùm voluptatis habent, magis concupiſcimus quàm ſalubres: ita amicis ijs nos libentiùs adiungimus, qui abundant dulcibus vitijs, & quibus ipſimet nobis placemus. Qui poſtquam ſeſe inſinuauerunt, & quicquid inane in animo Principis erat, ſecundâ aurâ laudibuſque ſuſtulerunt, duas perniciosiſſi-

Nemo læditur niſi à ſeipſo.

Duæ peſtes in aulis regnant.

niciosissimas pestes exhalant propagantq; Adu- lationem & Calumniam. Altera veritatem mentitur, altera obscurat, vtraq; eripit. Altera optimum quenq; ex animo Principis emolitur, altera ipsi Principi excantat animum. Habent enim naturâ hoc in se blanditiæ, quòd etiam cùm reijciuntur placent, nec contingit quenquam magis alienâ adulatione perire quàm suâ. Nemo enim eam recipit, nisi qui intus fouet, cùm sibi placuit, tum præbet aures idem agentibus. Nam & assentatoribus perit labor cùm solicitant aut deprehenduntur, & factum obtinent, cum ingenium aliorum & mores induunt. Quibus tecti & semet occultantes, explorant attenduntq; quò quenq; sua natura & cupiditas vocat, quid quisq; amet velitq;, quid in vnoquoque verecundiam & pudorem faciat arceatuè. Quæ deinde sensim callidèque soluendo, probra & dedecora, varijs virtutum nominibus vestita & circundata, sitim inexplebilem habendi prouidentiam, cæcum sui amorem, prudetiam, maledicendi morbum libertatem, libidinem & luxuriam animi relaxationem, impotentiam & crudelitatem curam reuerentiæ & maiestatis, iniuriam disciplinam, malarum rerum audaciam fortitudinem, aliaq; aliter appellando, vnum quenq;

Adulatio,

eius progressus & artes,

quibus arduum resistere

ea parte,

eâ parte, quâ facilis captu eſt, aggrediuntur. Quibus tametſi primò obluctatur, atq; ea qualicunque adhuc reuerentiâ aſpernatur incorruptus animus, quotidiano poſtea impulſui & illecebris impar, in preceps prauumq; abſtractus, omnis boni vim & indolem exuit ponitq;. Vix enim magnâ cuſtodiâ pudor retinetur, nedum inter adhortamenta vitiorum, modeſtia aut quippiam aliud probi moris manet. Tum vbi hoc perfecêre, cunctaq; pro egregijs accipi vident, ad aliam quoque partem tranſcendunt, crimina in alios colligere, verba per malitiam attollere, intendere, aggregare falſa, calumnias ad occaſionem vt olim Brennus gladium ad ſtateram adijcere, ad priuata odia & ſimultates, Principis potentiam deducere, eandem alijs ad ſimilem vſum precio vendere, parem venerationem ab inferioribus repoſcere, quidlibet impune per Principis timorem & reuerentiam facere, iniuriam inferre, non ſe propriâ, ſed domini fortunâ metiri. Vnde deinde fit, vt de domino homines loquantur, quando ijs coram domino loqui & conqueri non licet. Quorum quiſque ſi vel vnum probum & candidum in aulâ haberet admonitorem & amicum, qui eſſet quòd Agamemnoni Neſtor, quod Philippo Macedoni Parmenio,

&

Calumnia, eiusq; insolentiâ.

Ex his naſcitur tertia ignoratio veri

menio, quòd Alexandro Leonidas, quòd Octauio Cicero, quòd Phænix Achilli, quòd Dario Zopyrus: qui instrueret doceretq;, qui mores, quæ studia, quis modus inter homines famã aut veniam vel odium ferret: qui tanquam explorator nihil reticeret absconderetq;, sed iure suo referret, cuiusmodi esset de moribus Principis existimatio, quæ actio eius plausum omnium ordinum, quæ aduersum rumorem, quæ bonorum & grauium virorum approbationem excitaret, caueret profectò, minùsq; respiceret domesticorum voces, nullique magis quàm audienti insidiantes susurros. Nam cùm Principes publicè ambulare non possunt, eò miseriùs degunt, quò & vera sæpiùs apud eos reticentur, & quam in alios sibi sumunt, alijs de se dare licentiam nolunt. Quapropter Poëtæ, Midam Phrygiæ regem, prægrandes & asininas aures habuisse tradiderunt. quo denotabant figmento, Midæ omnia quæ à suis agebantur dicebanturuè comperta explorataq; fuisse, prudentiâ consilioq; ita res suas composuisse, vt florentissimum & beatissimum regnum habuerit: aliâ hoc denotantes fabulâ, nimirùm aurea efficiendo, quæcunque manibus contrectauisset. Neq; enim in re agresti magis, ac vitâ ciuili, hominumque regendorum ratione

Misericordia & Veritas custodiunt regẽ. Prouer: 8.

Midæ aures asininæ.

Interpretatio fabulæ.

verum

verum eſt illud, Frontem occipitio potiorem eſſe, aut ſecus in imperio atq; corporibus accidit, A capite bona valetudo, ſicut grauiſsimus morbus eſt, quiſquis ab eo diffunditur. Sed mihi DOMINICE, quanquam nulla pulcherrimi operis poſsit eſſe longa tractatio, & tibi nihil ſit iucundiùs, quàm maximè diſcere, quod optimè ſcias, vſq; eò tamen progredi, & præcipuè vitijs in tantùm immorari à principio non fuit conſilium, poſtquam factum eſt, non inane & citra operæ precium eueniſſe arbitror. Quamuis enim virtutis facilis eſt præceptio, naturam cum ratione intueri & ſequi, nimis tamen breuis præceptor eſſe videtur, nec multum præſtare, quoties nil de ea dicit, niſi quod neceſſe eſt, præſertim excedentibus modum vitijs, vbi virtutem tantùm commendare parum eſt, cum iam alterum nimium eſt. Adhæc, neq; delicta oſtendere ſufficit, quibus caruiſſe prima præcipuaque virtus apud Sapientes creditur, verùm etiam exagitanda ſunt, turbanda, ex intimo receſsibuſque ſuis euocanda, quò deteſtatione hominum ſuaq; fæditate palleſcant. Vt medici, non apparentia tantùm aſpiciunt, ſed quærunt & protrahunt magis ea, quæ latent, quæ ſæpè ab ipſis qui ſanandi ſunt occultantur: ita in vitijs eruenda ſunt, coargu-

Frons occipitio potior.

Euerſi mores & nequitia in omne nefas lapſa multis præceptionibus & auxilijs indiget.

Non paruum lucrum fecit, qui damnum effugit: non paruum ad virtutem momentum attulit, qui vitium excluſit.

Antiſtenes interrogatus, quænam eſſet diſciplina magis neceſſaria Mala reſpondit dediſcere.

enda, pluraque mala detegenda, quàm fronte se proferunt ostentantq;. Perierunt casta illa tempora, quibus procul à nobis vitia ipsa, ignoratio habuit, cum rudi adhuc & simplici, ampliùs quàm nunc exculto & intelligenti seculo, inter mortales esset sinceri & securi: cùm minimè opus esset simulare, dissimulare, fallere, falli, aliud in pectore aliud in linguâ gerere, vultu bono ingenium pessimum obtegere, inuidiam in occulto, adulationem in aperto, palam amicitiam, clam criminationem intendere, cùm mores, modestia, fides, abstinentia, in vniuerso populo naturâ & ex ingenio esset tanta, quanta nunc ex legibus in singulis non habetur, cùm vitia non remouenda sed tantùm non adducenda erant, cùm plùs prodesset ipsorum ignoratio, quàm nunc virtutum cognitio. Nesciuit tunc quisquam posse quod posse non debuit: nihil in alium admittebat, quod in se fieri nolebat: ita quisque alteri velut sibi credebat: non paupertatem alienam premebat, non suam auaritiâ explebat. Ius æquumq; naturâ magis quàm legibus vigebat: pro iure æquitas, pro legibus habebantur boni mores: pro innumeris edictis tabulisque, duæ tantùm seruabantur Pudoris & Modestiæ. Igitur nunquam aliâs Deorum cultus religioque sanctior erat.

Mores Polonorum prisci, & seculum criminũ inops

Cui simile nunquam speramus semper optamus.

Non tàm infelicitate fuit leges intelligere, quàm non habere.

Pessimæ leges cum numero laborant.

Templa

Templa non multâ ſuppellectili auroque, ſed ſupplicijs hominum & pietate ſplendebant. Vitam populi non facundia ingeniumque docentium, ſed exemplum ſimilitudoque rectè viuentium inſtruebat. Qui de Deo ſeuerè, de vitijs nequaquam molliter ſentiebant: vt ſibi animoque ſuo nullius delicti gratiam faciebant, ita alijs malefacta haud facile condonabant. Non interpretando iuſiurandum aut inſtituta pro ſe apta faciebant, ſed obſeruando ſe filioſque paruos ad ea accommodabant. Magna mihi copia eſt, memorandi maiorum exempla, aliqua ex ijs à me adoleſcentulo viſa deprehenſaq;: Fidem & pietatem, cùm ſtrictis ſtantes ad aras gladijs, pro veritate & Euangelio, vitam ſanguinemq; deuouerent: Preces & adorationes, cùm primores populuſque, nullo rei optimæ pudore, ſtratis ad terram corporibus Numini perſanctè ſupplicarent: Abſtinentiam temperantiamq;, cùm matres patientiæ & duræ inediæ, tenellam adhuc ætatem aſſuefacerent: Expiationes & ſatisfactiones, cùm homicidia magnaque crimina, publicis nonniſi piaculis & pudore luerent, & quamuis leges euaſiſſent, admiſſum ſcelus, palam facibus accenſis faterentur: Auſteritatem & tolerantiam, cùm dura quidem illa, verùm quòd ea

Vita & religio ſancta.

Mos is permanet adhuc apud Equites Melitenſes. Cromer: l. 3.

Manum, manu mori adm

 à paren-

nimus & virtutibus iam his vale diximus.

à parentibus acceperant necessaria existimando, rectè faciendi consuetudine, perinde vt vetita obseruarent, in quibus satiùs putabant altiùs niti, quàm præsumptâ desperatione quippiam deserere, quærereque & habere, alter alteri quî posset gratiam facere, ignóscere, remittere, virtutum vitiorumq; modum imponere, describere, ostendere, ex quibus quanquam non inhonestis, sed moribus maiorum & antiquæ disciplinæ alienis, non minùs iam nobis venit exitium quàm ex prauis. Quippe ex veniâ facilis est transitus ad licentiam, molliterque de vitijs sentire, propè iam est & ijs infici. Sed eæ res longiùs me traherent.

Hebetatur virtus nullâ re magis quàm indulgentia.

Cùm quid violari posse constat, serum est tueri.

Equidem ego DOMINICE illud persuasum habeo, atq; ita apud me statuo, quæcunque potest esse virtutis institutio, cuius singulæ partes à scriptoribus, sæpè integris libris exceptæ sunt, nihil de eâ tàm abunde ab aliquo dici posse, vt illud non breuiùs tibi titulum tuum inspicienti pateat atq; in promptu sit. Nam cùm in omnibus rebus quæ aguntur, ex eo modo, quo quisq; natus est, quid deceat exquirimus, tum in vitæ ratione componendâ, illud primùm omnium tenendum est, vt nobismet ipsis constare possimus, neq; ab eo quod præferimus officio recedamus,

Ex eo modo quo quisq; natus est vitam componere debet.

vt quod

vt quod de nomine creditur, id & in moribus sentiatur. Nam cùm omnis appellatio, ad declarandas res videtur imposita, absurdum est, portare nomen alienum, atq; eo compellari vocabulo, quod contrariarum rerum redarguatur effectu. Principem dici & varijs vitijs esse captiuum, opulentum dominumque vocari, & nihil satis habere, nullis esse animi bonis instructum, omnia alia visenda, minimè se ipsum facere, id vero est, nomine tantùm imponere, atq; vt nuces intus marcidæ solent, specioso fallere putamine, non dignitatem decori habere, sed ipsum illi flagitio esse. Neque enim possumus, propter honores titulosué tales eos censere, quos videmus moribus palam à suæ appellationis desciuisse veritate. Nam res pulcherrimæ, non in id à Deo hominibus datæ sunt, vt cùm fædis & turpibus misceantur, sed vt sociatâ inuicem concordiâ, cum similibus coëant habeantque consortium. Diuites praui ac detestabiles, non magis secundùm naturam contingunt, atque prodigiosa corpora & monstris similia. Perdunt enim diuitiæ in ijs vim & pulchritudinem suam, atq; vt in materiâ infelici, alibi optima sui parte, quâ prodesse solent deficiunt, alibi se in fæda membra, per impotentiam insolentiamué torquent & distrahunt.

Princeps exemplum vitæ professus turpe cum delinquit in vita.

Diuitiarum pulchritudo cum mentis pulchritudine iungenda.

Diuitiæ malæ cum incidunt in malos.

Quæ ſanè monſtra generis humani permittunt fouentq́; ſæpè Dij, vt in ijs apud nos oſtendant diram ſpeciem Tartari inferni. Cæterùm fæditas earum venit ab alienis moribus, diuitiæ hanc tantùm in ſe culpam habent, quòd ijs & benè & malè vti licet, ſicut plurimis quoq; in vitâ alijs bonis. Igitur multùm intereſt in quem animum moreſq́; cadunt, cùm quibus in vnam ſtatim boni vel mali veluti ſpeciem formamque coniunguntur. Nam ſicut plurimùm cuiq́; dant virium in vtramq́; partem, ita in incerto iudicium relinquunt bonæ malæué ſint, aut mereatur eas aliquis necné, vſque dum adeptus fuerit. Opes enim, potentia, aliaque huiuſmodi quæ bona dicuntur, cùm in malos incidunt, tunc & ipſa iudicanda ſunt mala, peiores enim faciunt eos quibus contingunt, & pernicioſiſsima nocentibus moribus fiunt inſtrumenta. Quapropter DOMINICE, quoniam tot tantiſque bonis ſupra cęteros mortales à Dijs auctus ornatuſq́; es, in ijs, vti hoc idem pręſtes, quòd gemma auro incluſa admota ſolet, quæ mutuum illi decus dat & ab eo accipit, vti quò maior hoc melior, quò celſior eò perfectior ſis, etiam atq́; etiam tibi elaborandum eſt. Nam ſicut minùs in ebore aut cryſtallo maculam næuumque toleramus, ita non perinde

Ita ſe habent diuitiæ ſicut arma comparata latroni vel militi.

Vſu, bonæ maleué ſunt, digноſcuntur.

Quo quiſque maior hoc debet eſſe melior

perinde odimus vitiosos, atq; eos qui virtutem professi, eiusq; nomine inter homines eminent, nullâ tamen re vulgo præstare & antecellere videmus. Etenim quod aliquando alteri ab altero quærenti, cuiusnam rei splendor in orbe esset maximus? responsum fuit, idem tibi dictum scito, Virtutis quàm Solis lucem longè clariorem splendidioremq; esse, quòd illa & in tenebris, & apud remotissimas gentes splendeat, neq; minùs eam oculis capti, quàm videntes noctu diuque agnoscunt celebrantq;. Iam verò qui ab ineunte ętate, habet inter homines causam celebritatis & nominis, (quòd tibi DOMINICE, & in amplis opibus, & ob maiorum tuorum præclaram memoriam contigit) in eum oculi omnium conijciuntur; quid agat, quemadmodum viuat curiosè inquiritur, eius nullum potest esse obscurum delictum factumue, quòd ei statim assistunt plurimi, Ai Locutij, qui nihil arcanum esse apud homines sinunt, qui cubile ipsum intimosque eius recessus recludunt, & si quâ ab eo in re trans honestatis lineam itum est, continuò famæ noscendum proponunt explicantque. Quâ in custodiâ oculisq; omnium, ita te geras oportet, vt visendum & suspiciendum te, non magis titulis & imaginibus exhibeas, sed quod longè pulcherrimun

Quid sit in mundo splendidissimum?

Obseruantur cuncta facta Principum acribus oculis.

Ai Locutii omnibus Principibus adsunt.

Magna innocentiæ necessitas posse deprehendi.

rimum est, quàm plurimis virtutibus & benè factis. Nam profectò si modò intueri te ipsum & noscere velis, non Nobile, Generosum, Magnificum, Augustum, quæq; varijs virtutum appellationibus, tibi tuique similibus in titulos conuertunt, horumq; vos compellando admonent homines, sed Cœleste quiddam & prorsus Diuinum, ex quo omnes omnium virtutes ortum ducunt, in te inesse inuenies. Id verò est animus & ratio, quam intueri, secundùm quam viuere, & quam sequi, Deum ipsum sequi, eiusq; decretis parere, apud sapientissimos olim persuasum fuit. Est enim simulacrum & particula summi boni & eius qui fecit eam, quâ Deo consociati, in hoc similitudinem seruamus, quòd vltrò ad honesta ferimur, & tanto munere dignum & facere & sentire delectamur, nosque ad sublimia tollimus, velut ad initia nostra. Vnde quemadmodum habitus corporum nostrorum erigitur, inq; cœlum spectat, ita & animus paria Dijs vult, neq; se corpori cui impositus est subijcit, neq; sæpè ex eo metuit exire. Accepit enim illud & in hospitium & in templum atq; sacrarium suum, in quo quã diu maneret, sacerdotio debito perfungeretur. Sacrificium verò eius longè acceptissimum est, mens pura, animus innocens, vita proba.

Animus humanus non Nobilis tantum Magnificus Generosus sed etiam Diuinus.

Corpus Dei est templum, cum vitiis non concessit hospitium.

Quæ

Quæ ita vnumquenq; nostrum velut religione complent obligantque, vt si quem virtute anteire atq; omni carere dedecore, præcipuèq; ijs vitijs, quibus multi non facile possunt obsistere videamus, id ipsum etiamsi in nobis non fuerit, tamen in altero nos delectat, & illi amicos facit. Nihil enim est virtute formosius, nihil pulchrius, nihil præstabilius. Hinc Principes, hinc Magnates prouenêre, hinc honores & cultus similes prope Dijs alijs ab alijs decreti, cùm tàm sanctum splendorem populus apud se honore & reuerentiâ dignum censeret. Hoc priscis temporibus vnicum erat remedium, ex humilitate & obscuritate, in lucem hominum notitiamque prodeundi, hæc via ad dignitates emergendi, cùm initiò natura pares esse omnes iussisset. Atque quandiu inter homines non aliud in honore quàm virtus fuit, eamq; solam fortuna, potentia, gloria, & alia huiuscemodi sequebantur, natura sua sponte in virtutem prona, in eius tantùm studium incumbebat, ac optimus quisque honorum & diuitiarum appetens, in labore, patientiâ, ad hæc ipsa consequenda, satis habuit, alterius æmulus bonæ vitæ, quàm dignitatum fieri. Postquam ista homines occæcauêre, sicq; ijs imposuêre, quasi per se ipsa expetenda, clara & magni-

Omnis nos virtus ad se allicit facitq; vt eos diligamus in quibus ipsa inest.

Principes & Magnates ex virtute prouenêre.

Gloria virtutis filia.

fica essent, propriâ formâ & pulchritudine virtuti detractâ atq; in se translata, ad se primò quærendum neglectâ virtutis viâ illos induxêre. Mox multi mali hæc ipsa adepti, minimè aduertentes cui cohærerent, & in quo radix istorum totaque vis posita esset, falso gaudio paulisper vsi, vno postea tumulo, quo corpus contexerant, se omneq; suum & ex his partum nomen concluserunt. Nam velut summo solo sparsa semina, se quidem effundunt, sed postea imitata tantùm spicas, inanibus aristis spem sæpiùs fallunt: ita omnis honorum gloriæq; seges, nisi inuersis altè glebis, ab ipso virtutis gremio pullulet, in opum, potentiæ similiumq; ostentatione, velut in summo solo sparsa conceptaque, fusis popularis auræ flosculis inanibus, ante messem moribunda pallet, & sæpè adhuc in viuis arescit. Est enim gloria, solida quædam res, rectè factorum comes, soliq; virtuti post fata etiam resonans, tanquam propria imago. Sic autem ego existimo, & tu sic habeto DOMINICE, fontem veræ laudis, ex quo tùm ad cætera facta tua, tùm ad omnes erga Deum hominesq; virtutes commendatio dimanare debet, in te inprimis esse, vt te ipsum probum & emendatissimum reddas. Nam facta laudabilia, multi etiam mali faciunt, quæ cùm secunda

Gloria fructum non profert, si in radice non viget etiamsi se aliquantùm in honorũ ostentationem iactet.

Intrà nosmetipsos virtutis sunt igniculi.

Non parua vis est rationis quòd vnũ animal homo

cunda

cunda quædam honesta sunt, aliquando illa laudari, tu ipse nisi optimus fueris, non potes. Præcipuum hoc est etiam in Deum officium, hoc ille munere capitur, hæc ei pietas, hæc lautissima placatio, hic noster cultus & veneratio gratissima est, reddere illi maiestatem, reddere bonitatem suam, existimare cuncta ipsum cernere, omnibus factis dictisq; interesse, certo vbiq; teste, cui quod sæpè alteri accusati fecisse nos negamus, omnia confitemur, hoc est, menti & animo nostro, quo nihil potuit nobis dare ipse Deus diuiniùs. Nam quemadmodum ipse magnum opus mundumq; curæ propriæ & moderationi seposuit, circumagere rerum ordinem, certis temporibus & per vices alia adducere, supprimere alia, tot conuersiones, circulos alios aliò dirigere, atque ex his proficua & salutaria nobis fundere: ita corpori paruoq; alteri mundo, sempiternum pariter dominum & imperatorem præfecit, qui ei certos numeros, intra quos consisteret honestum rectumq; describeret, varias & dispares affectuum rotationes ac impetus ambiret & ab erratione cohiberet, caueret, ne aliud in aliud cæcâ confusione incurreret, ne quid indecorè effæminatèue, tum in opinionibus & factis ne quid libidinosè & extra numerum caderet,

sentit quid sit ordo, quid sit quod deceat, in factis dictisq; qui modus.

Probitatis & pietatis exordium.

Nemo inuenitur qui se conscientiæ suæ absoluat, & innocentem se quisq; dicit respiciens testem non conscientiam.

Conscientia animæ pædagogus.

Pythagoræ monitum: Teipsũ reuerere.

ne lingua ab animo, vtile ab honesto, ruptâ mutuâ concordiâ compageque discreparet, tum si quid abhorreret ab oculorum & aurium comprobatione, aliud pudore comprimeret, aliud pœnitentiâ retraheret, aliud verecundia & rubore coërceret. Multis enim sæpè, quod vis animi non dedit, contulit vis pudoris, & ad malitiam profligandam, non minùs spectator valuit quàm virtus. Euripides aliquando fabulam adornaturus, versiculum illi pro ludicro inseruerat:

Verecundia virtutis character & tinctura.

Euripides pro versiculo ad iudicium vocatus.

(Iurata lingua est, animus iniuratus est.)

Pro eo ad iudicium capitis vocatus & ad pœnam seriò expetitus fuit: isto accusationis titulo, quòd eo multorum malorum præceptorum auctor, populum plus doceret, quàm tantùm peierare. Quippe solutâ semel virtutum inter se & honesti compage, ac velut concentu, nihil est quod omnes ab interitu abitioneque retrahere possit. Quò perniciosiùs adhuc, mereri mihi de populo videtur Princeps, qui se deteriorem facit, tàmq; multis nocet, quàm multis melior factus prodesse potuisset. Neq; enim tantùm mali est, (quanquam & hoc magnum est per se ipsum malum) quòd vitia ipse concipit, quàm quòd multos imitatores habet, qui quod vident, pro exemplo accipiunt, creduntq; docere, quicquid ipse agit, & glo-

Omnia in Principe exẽpla sunt crediturq́; docere quod agit.

& glorię partem, si omnes referant, quod in vno vident. Vt enim plãtę, quas heliotropias nominamus solem sequuntur, eumq; semper spectant, etiam nubilo die noctéq;, ita quicunque mores in summis viris & Principibus extiterunt, tales inferiorum tenuiorisq; ordinis hominũ fuerunt, nec aliâ re promptiùs emendari corrumpiué, quàm duce & principe solo potuerunt. Efficacius enim homines exemplis docentur, quæ etiam istud boni in se habent, quòd approbant quæ præcipiunt effici posse, eaq; viâ ad se trahunt, vt non coëgisse videantur. Hoc est vtile, hoc ciuile imperium. Nam velle quippiam deuium & dissolutum ad instituta legesq; reuocare, quæ corruptis moribus ludibrio esse solent, aut cùm tute per mollitiem libidinemq; agas, ad frugem supplicio alios cogere, id verò est, non delicta compescere, sed semetipsum eorum manifestiorem reum ostendere. Etenim quanquam seueritatem scelera merentur, nihil tamen Principem magis in delinquentes, quàm lenitas decet, qui vtriusque vices implet, quoties ita cæteris ignoscit, tanquam quotidie peccet, ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat. Nam vitia loco mouere sicut vndecunque haud promptum, ita ex aulis magis arduum semper difficileque fuit, vbi nihil

Non habet auctoritatem sermo destitutus exemplo.

Exasperat homines correctio blandissimè iubemur exemplo.

Nihil pulchriùs, quàm multarum rerum veniam dare nullius petere.

Aulæ vitia.

est sui simile atq; vnius formę, vbi fraus, ambitio, iactantia, arrogantia, maleuolentia, inuidia, insolentia, multaq; in omni genere vitia diuersorium suum habere solent, & commune conuenticulum. Quid verò memorem, quæ illic agi non nisi illi qui istud voluunt saxum, actum fuisse vix etiam decepti læsique vident? alium per summam odij dissimulationem in odium callidè propelli, alium irremeabili calumniarum errore, excitataq; dissimulanter criminatione inuolui corripiq;, amicos & concordes, iactâ subdolè suspicione à se inuicem dirimi, dissidentium in morem hęc supprimi, illa in apertum apricumq; produci, alia per dubitationem odorari, alia ne aut nimiùm aperta cuiuis pateat, aut penitus dissimulata nihil impetret ambitio, specie recusantis flagrantissimè posci flagitarique, hìc sub aris, illic sub auro insinuari, ita adulari vt non sentiat, quem palpum tangit, ita dona accipi spargique, ac si omnes abstineant & nemo non vitet, ita rogantium supplicantiumq; petita audiri dimittique, vt æquè incerti cum officiosis inuolucris & ambagibus, ac Delphis ab Apollinis oraculis, qui venerunt discedant, huic fronte, illi à tergo, alteri à latere imponi, otiosè, cunctanter, cursim, aliud agendo, dissimulanter, obliquè, clàm, propalam, seriò,

In aulis solent homines ab externis & conspicuis diffidere, nec ij esse quales vultus profitetur.

Recoctæ vulpes.

Quas artes etiamsi omnes non laudant nemo tamen est qui eas cum commodum offertur quamuis cum iniquitatis fama omittat.

seriò, ioco. In ista mihi quisquam ingenium & curam promittat? quæ sapientia vix agnoscat deprehendatq; etiamsi ipsa aduersùm hæc excubet vigiletque? quæ sunt potiùs ex eo genere malorum, quorum victoria fuga constat! Nam cætera malefacta faciliùs persequare quòd apparent, hæc nisi ante prouideas ne eueniant, vbi contagione se vulgauerint, iudicia remediaq; frustra tentes. Ea vera atq; simplex DOMINICE via est, à se ipso incipere, cùm nihil labis intra vitam tuam, neque profectò intra limen tuum admittes: non habebis vitia, nec feres, quantùm temetipsum ab ijs, tantùm & tuos retrahes. O te fortunatum M. Cato (inquit Cicero) à quo rem improbam nemo petere audet. Qui te temperantem senserit, turpia nunquam petere audebit. Vt enim sua quenq; natura in alio delectat, cum eoq; coniungit, ita diuersitas vitę, improbum perinde arcet abigitque, vt fæx potorem, aduersitas simulatorem. Cedet statim aulâ tuâ simultas, cedent cogitationes improbæ, libido cæca, alieno imminens auaritia, si fuerint ex tuâ parte deserta, nec homines eo modo, sed vitia lędentur. Ille, qui sibi foret in precio, quòd custodit limen tuum, qui parùm comiter salutatus imposuisset, dominum contemptũ despectumq;, eius numen in se viola-

Satius est prohibere maleficia, quàm patrata punire.

Morum paritas & similitudo, amicitiæ causa.

Habent hoc potissimum insolentes Principum gratia, vt ea ad iniuriam proficiant inferiorum.

violatum fuiſſe, perindeq; mancipia ac dominum adorari oportere, adimet hanc ſibi apud te petulantiam, vbi ſenſerit, aures tuas eſſe delatorib⁹ obſtructas, non moris id tui, ſecretò quippiam credere & palàm iraſci, nihil decernere niſi priùs & reum benè noſcas & crimen, ſæpiùſq; in vſu habere, plura diſsimulare quàm vlciſci. Ille, qui alterius Principis ianuam faciebat difficilem, congreſſus ab eo & ſalutationes ad ſe reuocabat & transferebat, per quem Princeps audiebat, loquebatur, per quem officia & honores, imò à quo petebantur, arrogantiam ſuam ſuperbiamque dimittet, cum viderit, humanitatem tibi ineſſe, non tàm virtutem quàm naturam, nullius te vota fatigare, nulli promiſſo adhibere artem difficultatis, venientem quenque denuntiari, induci, adire, deſideria ſua promere, atq; ſæpiùs ſermoni cuiuſque, non tuum faſtidium ſed ſuum pudorem finem facere. Benè de ingenio ſuo apud te ſperare deſinet profeſſor magiſterq; vtilitatum & compendiorum, cùm animaduerterit, nulli te manum ſupponere lucro, pecuniâ non moueri, nec maleficio aut ſcelere paſci, nemini aliquod officium vt eo ad quæſtum abutatur permittere, capacitatem tàm in miniſtris tuis non diſsimulare, quàm in te non admittere. Sicut enim aurum

Vmbra Principum, pileus ſtultorum.

Argumentum maximum recti malis diſplicere.

rum igni, ita homines auro explorantur. Vt non inconuenienter quidam populi in honore aut magiſtratu poſitis imagines apponere ſolebant, ſine manibus, oculis auerſis, nempe aurum ne caperent, immò ne cuperent quoque. His DOMINICE moribus quiſq; reuocabitur, his retinebitur in officio, ex ijs te maximus fauor hominum gloriaque ſequetur. Quantò enim eſt difficiliùs alios bonos præſtare quàm ſe, tantò futurum eſt laudabilius, quòd cum ipſe fueris optimus, tales circa te omnes efficies, talis quoq; ab omnibus iudicaberis, quales illi fuerint, cum quibus vixeris. Quamadmodum enim ex corruptis corporibus afflatuq; noxio pericula trahimus, ita ex malis quibus nos commiſcemus vel infamiâ apud homines laboramus, vel ipſi contactu inficimur. Laudabile vtrumq; eſt, & cùm à vitijs abes ipſe, & cùm ea in alijs refugiſti. Proinde cùm cæteris in rebus omnibus, tùm in deligendis ijs quos diligas, ſumma tibi cura diligentiaque adhibenda eſt. Ama nec citò nec indignos: nam alterum plerunque ſequitur pœnitentia, ex altero, cùm fructus, tibi nullus erit, tùm & ex cæteris eſſe deſinet, quùm iſtud viderint. Fideliores & fauentiores eos eſſe exiſtima, qui te admonent corriguntque, quàm qui ſemper laudant:

Aurum nec capere nec cupere.

Se ipſo bonos alios reddere.

Initium morbi eſt ægris ſe admiſcere.

Pulcherrima vitæ ſuppellex amici.

Omnia cum amico delibera, ſed de ipſo priùs.

dant: nam mendacium plùs ad fauorem quàm veritas inclinat, quæ hoc proprium habet, non quòd nunquam laudet, sed parcè. Vnius rei inopiâ Principes laborare scito, atque cuncta possidentibus vnum hoc deesse, qui verum dicat.

Omnibus bonis oportere plùs gloriæ quàm diuitiarum esse.

Gloriam & laudem magnis diuitijs præfer, nam hæ sordidis & improbis hominibus contingunt, illam non habent nisi virtute præstantes. Extra duas felicitatis partes tertiam quam in vitâ præponas nullam esse existima, benè facere & benè audire.

Fama mortui hominis immortale bonum.

Futuram hominum existimationem, quæ sola, cùm non erimus, hìc erit, laudi præsenti præopta. Viuus placere labora, mortuus laudari, laudanda facere, laudem non affectare: veras enim laudes mors inchoat, nec veriores vitæ testes sunt, quàm cinis & sepulchrum.

Bonæ famæ bonus odor.

Assuesce in terris nihil optare nisi bonam mentem, nihil desiderare, nisi bonam famam, nihil nisi turpitudinem formidare. Quò plùs alijs potes, eò in virtute quoque plùs alijs velis, deforme reputans, si quis te præcedat virtute, qui sequitur conditione.

Inter turpes iacturas, indignis datum munus est.

Nihil te magis possidere existima quàm benè donata, non multùm datum credas, quod à te dignus accipit. Facultatibus quos non possis, comitate, & humanitate tibi adiunge, memor illius:

Corpus dextrà pascitur animus vultu.

Corpus dextrà pasci, animum vultu.

Iram

Iram à furore differre ſcito, temporis exiguitate, quæ cùm deformis eſt dedecetque potentiam & maieſtatem, tùm in illâ nimium iam & iniquum eſſe ſolet, quicquid delectat iratum. Præſta verecundiam ætati, virtutem familiæ, fortunæ magnificentiam. Cogita quò altior es, eò te clariùs ab omnibus conſpici: quò plùs potes, eò minùs quod potes debere oſtendere. Denique ſic vitam inſtitue, tanquam eam inimici videant, nihil ex eâ amici excuſandum habeant. Atque hæc omnia, quanquam poſita eſſe non in labore aliquo, ſed in animi quadam inductione & voluntate videas, tamen in tot præſidijs fortunæ, maior tibi debet eſſe facultas, exhibendæ virtutis. Nam pleraq; in rebus humanis, ita comparata ſunt, vt ſe ipſa perdant, & vim ſæpè ſuam in contrarium vertant, niſi congruentium rerum ſibi adſtrinxerint ſubſidium. Optima natura & diuitiæ maximæ, plurimùm per ſe momenti ad virtutem habent, niſi tamen mutuâ conſenſione in vnum coëant, plenum ex ſe abſolutumq; bonum vix efficere poſſunt. Omnem enim vim alterum ab altero accipit, quæ cùm ſeparantur, neque id, ad quod per ſe apta ſunt ſatis efficiunt. Nam & natura tàm firma non eſt, vt non perdat in virtutes vires ſuas, ſine alterius ſubſidio, & à

Propè eſt, vt iniquè damnet, qui nimis: vt libenter, qui citò.

Magna pars peccatorum tollitur cùm peccantibus teſtis aſſiſtit.

Fortuna dat facultatem exhibendæ virtutis.

Virtutem natura efficit, ſed adiuuat fortuna.

Quemadmodum eſt ſemen vt ſit herba, ita natura vt ſit virtus.

Virtus in paupertate vt ignis vase conclusus altum nequit appetere.

maximis opibus nihil ſperari boni poteſt, cùm alterius obſunt incommoda. Multi in exemplum omnis virtutis ſuffecturi, aduerſante fortunâ, præſtantiæ ſuæ obliti, ad praua inhoneſtaque deflexerunt: multi quoq; mali, fortunâ nequicquam fauente, ne bonæ quidem mentis ſigna prodiderunt. Quemadmodum vnâ iter facientes, alter ad alterius auget minuitque greſſum, ita tantùm vnum aliquod in virtute procedit, quantùm alterum comeſq; permiſerit. Quanquam illud teſtandum eſt, vt in alijs, ita hìc quoque primas partes obtinere naturam, plùſque ſolam ad virtutem momenti adferre, quàm maximam fortunam illâ deſtitutam. Plerique, qui hominibus in excelſo poſitis ingenium operamque impendêre, plurimùm in eo curæ, quomodo ſe in poteſtatibus gererent conſumpsêre. Credo, aduertentes, vim ad malè faciendum fortunæ maximam eſſe, & obnoxij licet ſimus omnes delictis, eò tamen magis fortuna ſuis vitijs reliqua, quòd præter delinquentem, nemo alius finem ijs ſtatuit aut moderatur, exſuperat. Quæ ſanè doctrina non cuicunque promiſcua, ſed maximis tantùm viris & principibus compoſita, ſicut commendauit extulitque ſcriptores, ita in vnam hanc partem elaborata, tantundem præſtitit,

Paruæ virtutes ad maximas creſcunt & proficiunt.

Quemadmodum ſupellex ea eſt commodiſſima quæ expedita & vſui apta, ita

ſtitit, quantùm pictorum operæ ſolent, quæ cutim tantùm reddunt, & ea quæ à ſummis corporibus videmus effluere. Nam optima facile cernuntur ſuo lumine, quæ illa producunt procreantque, vt parua ita ſæpè occulta ſunt, latentq; ſicut ædificiorum fundamenta, faſtigia ſpectantur. Igitur inter diligentiam eorum, qui in ſublime elati, ſummam quaſi manum virtuti imponere conati fuerunt, & qui profeſsionis promiſsiq; memores, quo ſe magiſtros eius fore polliciti ſunt, minora quidem, ſed per quæ ad maxima fit tranſitus tradiderunt, tantùm intereſſe putaui, quantùm inter virtutis exemplar & eius præcepta. His locus apud quemcunq; eſt, illud tum paucis eſt commune, tùm ſcribentium ſæpè exquiſitis laboribus, citra imitatorem, ſine exemplo fluit dilabiturque. Nam perinde virtutis atq; aliarum rerum profectui, quæ magna & ardua viſa ſunt obfuerunt, parua vt difficultate non laborant, ita ſingula ad virtutem adeò ex ſe fertilia ſunt, vt non ſentientibus nobis inſidant, rectàq; nos in altum & ad maxima ferant. Quapropter multi, ad ea quæ tradi longo magiſterio ſolent, ſua ſponte ſine inſtitutione peruenerunt, & honeſta amplexi ſunt, cùm vix audierunt. Natura enim ipſa nos ad optima genuit, quæ hūc

doctrina illa optima, quæ citò in animo reponitur.

Præcepta virtutis magis, quàm inſtitutio homines coërcent & obligant.

In ingeniis hominũ quemadmodum in agris multa proueniunt & ſponte naſcuntur, quamuis non ſeruntur nec elaborantur.

 quoque

quoque in pessima abductis virtutis sensum reuerentiamque indidit, quòd nemo quisquam tàm malus est, vt videri velit. Quam profectò etiam ob causam nonnulli scriptorum, rationem rectæ honestæque vitæ, per monita & præcepta tradiderunt, satis profici solâ commemoratione, exigiq; non doceri eam oportere arbitrati. Quamuis enim in tàm vastâ & latissimè sese extendente materiâ, difficiliùs fuit eligere quæ præcipias, quàm cùm elegeris præcipere, sumpsit tamen in maxima impetum, quisquis paucis non repugnauit. Quemadmodum vnum est militiæ vinculũ, signorum amor & deserendi nefas, ducere fossam, ferre onus, cæteraq; facilè deinde exiguntur mandanturque sacramento adactis: ita quisquis paucis virtutibus manum dedit assensitque, facilè alijs obsequitur, & sibi ipse imperat, etiamsi in præscripto non fuerint. Atq; ego DOMINICE, nisi magna omnia & propè infinita, à te expectari exigique in animis hominum fatear, valdè quàm adhuc tuam sortem & conditionem ad omnem laudem & gloriam editam non intelligam. Est tamen in eâ re minùs mihi faciendum quàm tibi. Nam verba nulli virtutem addunt, quanta cuique indoles, & quò generosior celsiorque animus adest, hoc magis suâ sponte assurgit,

In virtutum recensione magis modus adhibẽdus quàm copia querenda.

Vbi vna virtus, ibi omnes adsunt.

Immensum gloria calcar habet.

Virtus optimos citat.

git, sæpè ex paruo & ſcintillâ ignem ſuum explicat, nec ad ſingula monitorem deſiderat, doctus ex ſe in totum. Tùm quòd ea diligentia conuenire magis videtur eorum inſtituto, qui de honeſto per omnem vitam, nil aliud quàm diſputant. Tibi qui maximis rebus deſtinatus es, ſtatim promouenda, non per otium venit diſputanda virtus. Quanquam quot Maiores, tot duces, tot magiſtros habes, qui te velut aſsiduis edictis obligant, qui tanquam creditores laudis & virtutis ſuæ, noctu quoq; & in ſomnis te ad gloriam excitant commonentque, qui importuni ſed honeſti flagitatores, id tecum, quod Antigonus Rex cùm Demetrio filio, cùm eum ad liberandam ſeruitute Græciam mitteret, non hortatione modò ſed etiam precibus agunt, Virum te præſta & ſtrenuum, ô fili, gloria enim & fama rerum geſtarum, ex hâc ſpeculâ tanquam ignis, quoquo terrarum pertingit emicatq;, nihil ex hâc domo ex mortuis moriturum vides. De quorum interea virtutibus, quòd olim de Carthagine effatus Salluſtius, tacere ſatiùs exiſtimo, quàm pauca dicere. Alius exemplum non habet, niſi quod ipſe ſibi fecerit, tu natus in illuſtri familiâ, ad virtutem maiorum adiuuaris exemplo. Cæſar cùm Alexandri Magni ſepulchrum inuiſiſſet, ab illo ita diſceſsit,

In opere eſſe longè eſt pulcherrimum.

Exhortatio Antigoni ad Demetrium filium.

Multùm ad virtutem confert exemplũ & imitatio.

vt iam

vt iam tum, quæ poſtea geſsit, animo conciperet. Alexandrum tanquam admotis ſtimulis, patris gloria impulit ad decus, famam, & immortalitatem comparandam. Minori Africano maior, maiori pater patruuſq́; exempla domeſtica præbuêre. In tuâ quoq́; domo neſciuit hactenus naſci aliquid mediocre, quot editi, tot probati, tot clari & magni in republica eſtis, ſummæque dignitates & virtutes, velut in digno habitaculo, lares ſuos in veſtrâ poſuêre familiâ. Seruabunt te quoque, ſperamus & confidimus, DVCVM SANGVIS, Magnorum Heroum laudata proles, Dij cæliq́; ipſi, ad eam ætatem, donec ſimilia expleas exhibeaſque, ducent per excelſa animum quem dederunt, donec ſuperes vincaſq́;, BASILII Ducis magnificentiam, GEORGII ardorem, vtriuſq́; IOANNIS fortitudinem, CONSTANTINI fortunam, COSMI magnanimitatem, HELIÆ fidẽ & iuſtitiam, IANVSSII probitatem, PATRIS tui prudentiam & religionem, AVI alterius grauitatem, alterius generoſitatem & ſplendorem, PROAVI audaciam, omniumq́; humanitatem & liberalitatem, omniumq́; excelſum animum. Poſt quos maiora etiã de te cõcipimus qui ſequeris, quoniã diligentior ſolet eſſe imitator prioris. Mihi omnia adhortamenta, hâc vnâ tantùm

Rapitur ad ſimilitudinem ſuorum excellens natura.

Proſapia Ducum in Oſtrog & Zaſlaw.

ratione complecti & consumare sufficiat, sperando de te magnificentiùs quàm apud te differendo. Vt hoc quoque maiorem tuæ gloriæ locum relictum intelligas, quò pauciora minoraq; à nobis, plura melioraq; per te didiceris, factaque tua hinc tantum acceperint rudimentum, à te ipso incrementum. Verum enimverò DOMINICE, quęcunq; illa ab istâ altitudine animi, & indole tuâ aliquando in lucem proditura sunt, nisi ea magnis in Rempublicam meritis cumules augeasque, vide ne plùs ex ijs habiturus sis admirationis quàm gloriæ. Quicquid feceris, quamlibet amplum & magnificum, paruum existima, cùm eo est adhuc aliquid maius & ampliùs. Nam sæpè ego cum animo meo reputando, quibus rebus clarissimi viri magnitudinem inuenissent, quibusué factis nomen & gloriam suam extulissent, sic reperi, eos, qui patriam seruauissent, auxissent, adiuuissentué, memoriam sui quàm maximè longam sempiternamq; fecisse. Itaq; viri adhuc illi, armati se in horribiles terræ specus immittentes, muri loco corpus tantùm scutumque suum, obfirmato in statione gradu, donec pons à tergo rescinderetur, hostibus irruentibus obijcientes, sibi ipsis irati manus suas, velut reas & desertrices deceptricesque, in arden-

Omnes omnium charitates, patria complexa est, pro quâ quis bonus dubitet mortem oppetere si ei sit profuturus?

Tulit qualibet patria amatores suos, Roma Brutum, Mutium Curtium, Decios, Fabios, Cornelios, Athenæ, Codrum,

& Themistoclem; Lacedamon, Leonidam, Thebæ, Epaminondam; Carthago, Philenos fratres.

in ardentes rogos flammasque ad supplicium immittentes, pro liberis filijsq; suis ante tribunal, ante oculos suos, virgis primò, deinde securi cæsis, patriam libertatemq; adoptantes, celebrãtur quotidie, non suis modò sed penè omnium gentium literis & linguis, neq; vlla vnquam ætas de ipsorum laudibus conticescet. Nostrâ quoque memoriâ, quoties magna alicuius & nobilis in republicâ virtus enituit, quod studium, quam celebritatem sermonis hominum non habuit? vt pro talium salute, Deos obsecrare non desisteremus, ut valere eos paterentur, si non regnum hoc & populum perosi essent, à quorum morte mæsti atratiq;, non minùs sæpè doluimus, ac si vno funere cum ijs, salus nostra & Poloni nominis splendor dignitasque efferretur. Quicquid enim magno excelsoq; animo pro patriâ geritur, id nescio quomodo, pleniori ore ab hominibus laudatur. Etenim sic censeo, quotiescunq; egregios viros bona libido ceperat, laborare, vigilare, reipublicæ animum intendere, sua negligere, nihil denegare, vltro pro patria pericula deposcere, non se, non vxores, non paruos liberos miserari, quin cum id commodum patriæ cernerent, mortem pro eâ oppeterent, non potuisse reipublicæ contingere maiorem virtutem, quàm eam,

O fortunata mors quæ naturæ debita potissimum patriæ est reddita.

eam, , quæ ipsos vt maximi in eâ essent fecit, non excellentiorem animum, quàm eum, qui vitæ contemptor, corporis sui pro eâ prodigus fuit, non opulentiorem fortunam, quàm quæ tales ciues edidit, qui pro opibus semetipsos patriæ deberent dederentque. Quos quidem tot pro eâ interfectos concisosque, illud ante oculos semper habuisse arbitror, breuem esse vitæ cursum, sempiternum gloriæ, cumq; illis iure naturæ patriâ simulque vitâ aliquando decedendum esset, satiùs putasse, mortem, antequam natura indixisset, necessitati alterius concedere, antequam sors eam obtrusisset virtute antecapere, ac ne sibi ipsis tantùm morerentur, omnibus mori, spiritumq; ei reponere, quæ ipsum dedisset. Nam cum inter fati beneficia à sapientibus reputetur suâ in terrâ, tantò feliciùs putabant pro suâ terrâ mori, nempe in cuius salute & integritate repositam haberent ipsi famam & gloriam, alij ingentia commoda, vtilitatem mercator, gloriam miles, operas suas agricolæ, ceremonias religiosi, nuptias puellæ, pudicitiam matronæ, gaudium & securitatem omnes. Hæc igitur tibi DOMINICE reliqua pars est, hic restat actus, in hoc elaborandum est, vt te excites attollasque, magnis in Rempublicam meritis. Hanc Maiores parentesq; tui,

Breuis vitæ cursus est, sempiternus gloriæ.

Timere aduersa consentaneum est naturæ: sed contrarium virtuti.

Spartam in qua natus es orna.

ſanctiſsimi, fortiſsimi, illuſtriſsimiq; viri, virtute, conſilijs, rebus geſtis, vitâ & ſanguine ſuo fundatam per manus tibi tradidêre, in eâ patriam, maximam in terris domum, familiam in patriâ clariſsimam, virtutis, dignitatis, honorum, gloriæ & famæ tuæ, certam ſedem & ſtabile domicilium, præterea bonas artes, inclytas diuitias, iura, leges, non minori ſapientiâ ac labore conditas conſtitutaſq;, atq; eum pertulêre, cùm ex paruis opibus, tantum nobis regnum imperiumque peperêre. Si is ſtatus rerum eaque conditio eſſet, vt vnius dominatu & libidine tenerentur omnia, nec ad quenquam præterea mortalium, præclari facinoris aut artis bonæ merces gloriaq; perueniret, tolerabilius videretur, ſemet inde ſubducere, quàm nihil profuturis, aut multùm etiam periculoſis conſilijs factiſq; innoteſcere. Cùm alia reipublicæ conditio eſt, atque in ea progreſsio admirabilis, incredibiliſq; curſus ad omnem excellentiam relictus eſt, eam deſerere aut curâ eius fatigari, ſocordiæ ignauiæq; duco. Quid enim à maioribus noſtris, per ea, quæ rectè & ſapientèr condidêre quæſitum eſt, quàm ne cuiuſquam virtus, aut apud ciues notitiâ careret, aut apud regnantes præmio & gratiâ. Quę quidem ſingula cum reuoluo, quę leges, quę inſti-

In republica Polona cuiq; occaſio eſt magna ad ſe proferendum.

Excurſus ad

institutâ, quæ ab ijs reipublicæ deſignatio, quæ temperatio facta eſt, quomodo eam domi militiæq́; habuerint, non me contineo, quin ſi modò aliquid præſentibus moribus prodeſſe poſſint, ea carptim breuiterq́; percurram. *reipublicæ Polonæ ordinationem.*

Iam primùm ſatis conſtat, maiores noſtros in republicâ maximam curam libertatis habuiſſe. Ita perſuaſos, rempublicam ſine eâ, cadauer quoddam & membra ſine anima eſſe, in quâ nec viuunt ciues, cùm munus ſuum non obeunt geruntq́;, nec obeunt geruntque, cùm iuris ſui non ſunt, nec libertatis vt debent vſum fructumque habent. *Prima in republica Polona cura libertatis.* Libertas verò duabus rebus ab ijs firmata eſt, Regum electione & Ciuium ęqualitate: vt & alia in aliam valeret poteſtas, quę ſuam tranſcenderet, & qui inter ciues excelluiſſet, nihilominùs æqualis alijs & par eſſet, honoreſq́; & dignitates cùm contingerent aliena, curas tantùm ex ijs & moleſtias propria eſſe putaret. *Libertas duobus nititur. Æqualitate ciuium, Regum electione.* Reges nulli ſtirpi aut familiæ debiti, ſed qui optimi, ſæpiùs ab ijs exteri affectati. *Reges tutiùs exteri accipiuntur.* Non ex domeſticâ virorum inopiâ, ſed quòd periculoſior fiat eminentia, iuxtà familiarum neceſsitudines & libertatem. Non nemini, ſed non niſi ſtrenuo parere voluerunt, ne quod alibi nomen, non regni ſed regis vitijs repudiatum eſt, illud hîc aliqua ne-

cesſitas poſsideret aut cognatio. Certiſsima filijs hæreditas, ſecura poſſeſsio, tutæ ſpes opeſq; eſſent, in ea ſuccedere, quæ iam patrem dignum maximis fecerunt merita & virtutem. Quandiu hæc in regiâ pro neceſsitate fuiſſent, tandiu Reges intentè & anxiè agere, liberos ſuos magnâ curâ habere, gloriam, virtutem, fortia facta in ſpem naſcentium aſsignare, filios viciſsim ſeque patribuſque digna facere, laborare, conſpici cùm aliquid auderent, ciues noſcere, noſci à ciuibus velle, minimeque inſoleſcere poſſe exiſtimabant. Quos fas non fuit cogere, ſolicitudine abundè habebant in recto & honeſto continere. Hanc ab ijs viciſsitudinem exigentes, vt eos diligerent ſupra omnia, in quibus habere viderentur vniuerſa. Nemo ciuium ad obſequium libidine regentis traheretur, & pari huic pæna, ſed vna omnibus cauſa parēdi eſſet, bonus Princeps, quem quòd omnes pro ſe, hoc quoq; ſupra ſe eſſe libenter expeterent. Imperium vni legitimum permittebant, vim imperij & licentiam arcebant. Non regem in imperio, ſed leges in rege timeri volebant. Tamdiu ſincera omnia & felicia in regno fore credentes, quamdiu alterutrum in regno non inualuiſſet timere aut timeri. Securi de ſe, ſecuri de alijs, idem maieſtati Regum, quod Deo conue-

Succeſſores illis qui pro regno tanquam pro præmio contendunt.

Regibus non infinita aut libera in ciues poteſtas.

Parent ſuis regibus Poloni non coactu

conuenire arbitrati, vt Rex esset, quod ille in homines, beneficus, iustus, nec nisi in bona populorum & honesta potens: ciues vicissim in Regem, quod homines in Deum, parentes obsequentesque, non necessitate & coactu, sed virtutum eius ac bonitatis reuerentiâ & amore. Et ciues ciuibus, & reges legibus exæquabant. Vni in omnibus fortunam, omnibus in vno gloriam collocabant. quæ cùm hoc ipso alicui, quòd suprà omnes constitit, summa iam maximaq; est, tum vnâ adhuc ratione, virtute nempè & bonis factis subditorum crescit. Nam vt in mille operariorum manibus domum cùm fabricant, præcipua ædificij causa est, architecti ratio dimensioque: ita in pulcherrimis factis, ciuium pleraq; solent manibus & labore, regentium ductu & consilio geri. Hoc excelsum, Deoq; compar, munus Regum putauêre, ex alto & sublimi singula despicere, velut in custodiâ oculos & mentem aduertere, vbi esset certa serenitas, vbi dubia tempestas, qui iustitiam suam iudices æmularentur redderentque, qui fortitudinis & virtutis suæ gloriam Duces retinerent augerentq; circumspicere, perlustrare ne quid vsquam subsultaret non suo loco positum, excutere omnia, quantùm in vno quoq; esset industriæ, tantùm ei existi-

sed virtutis reuerentiâ & amore.

Reges defendere, tueri, sua fortia facta gloriæ eorum assignare, præcipuum sacramentum est.

Reges velut in custodia publica adcuiusque merita & opera attendunt.

ei existimationis committere. Nam in similibus delictis, rubor & dedecus fit proprium, etiamsi fiat error scelusúe alienum. Sibi rempublicam & virtutem, Regibus in se præmia & honores relinquebant. His, prout merita alicuius, prout fortia facta in bellis, prout facundia aut consilium, industria vigorque placuit, mandare officia, conferre magistratus, honores, prouincias, alios expeditionibus, bellis, legationibus, alios alio munere ornare permissum. Proprium id munus Regum esse arbitrati, præmia distribuere, vt neque beneficia in promeritos, à loco viderentur venire communi, & vicissim redderet virtus alteri honorem, quæ dignis dando, se eadem via comprobat peruenisse ad suum. Igitur tunc inter ciues ingens æmulatio erat. Nihil magis profuit candidato ad assequendos sequentes honores, quàm optimè peracti priores. Nemo ingenium negotio, nemo rebus asperis operam suam subtrahebat. Quisque reipublicæ auxilio esse, alij laborem pro eâ pericula deposcere, patriam armis corporibus protegere, alij quibus facundia & ingenium suppetebat, eandem sapientiâ iuuare, quę vspiam egregia adducere, magnâ mediocriq; industriâ, quæ vtilia videbantur suadere, neq; alius alium magis, quàm se ipsum respicere, atq;

Penes Reges præmiorum & honorum est arbitrium,

Proprium Regum munus præmia distribuere.

Ciuium proprium pro ijs contendere.

Opera vel Ingenio.

re atq; ita quisq; à Rege sperare honores, si priùs in republicâ meruisset. Nam maiores nostri, etiamsi dignitatem ordinum diuisissent, libertatem tamen in communi posuerunt. Liberam reliquêre pauperi & potenti sententiam, parem vnicuiq; nobili in republicâ iudicij sui copiam. Neminem in consilio publico spectatorem tantùm fieri, neminem opibus & familijs distingui excludique volebant, sed ita versari in republicâ, vt sciret quisq; rempublicam esse, à quâ nec consilium suum nec operam subtraheret. In multitudine & præsidij plùs & vsum ampliorem fore putabant. Distinctione ordinum varia & multa ingenia respexêre, ne posset in republicâ, quod quisq; conciperet, sed sapientia Senatus, cupiditati & licentiæ moderaretur, imponeretq; quod est in multitudine difficillimum, libertati modum. Nam vbi impar prudentia, par omnium ius est, mixtis omnibus, & moderatore carentibus, nihil tàm consueuit esse confusum & inæquale, quàm ipsa ciuium æqualitas. Quemadmodum fornicatio caderet, nisi in ipsâ lapides alij aliis obstarent: ita respublica propè solâ repugnantium sibi ordinum commissione sustinetur. Igitur libertas omnibus, auctoritas bonis data est. qui quòd vnius beneficio ad honores

Nobilibus re non verbo data est libertas

Copia data sententiæ & pauperi & diuiti,

Ita tamen data vt præclarissimis adderetur & auctoritati Senatus cederet.

Inde nata distinctio ordinum.

Respublicæ repugnantium sibi ordinum

commissione sustinentur. peruenirent, priuatæ vtrinq; gratiæ speique iureiurando obuiam itum est: quò in accepto reipublicæ magis obligati, & aduersus ciues fides eorum incorrupta esset, & cùm res posceret, aduersus regnantes libertas excusata. *Senatorum ordo.* Dignum referri, quòd non tempore, non còóptatione nouissimâ, alterum post alterum velut coniuncto orbe sequi, ordinem seruare, alteriué adhærere voluêre, sed prout alicui excellens meritum, magna sapientia, illustres domi militiæque artes fuissent, præire, & recens ascitum, gradu loco que, quem Rex tribuisset in Senatu eminere. *Ratio consultandi.* Prima à Pontificum sententiâ, tanquam ad uerticem summamq; rerum positorum procedit censendi auctoritas. Non tantùm ob reuerentiam cœlestium, sed quòd in consortio dignitatis, Virtutis tamen antiquiùs esse debeat collegiũ, quàm Honoris. *Prima Pontificum sententia.* Ex ijs multa sibi polliciti, & quia nullis exactior præstanda esset virtutis disciplina, quàm ijs, qui eam exigunt & omnibus inculcant, nec fidem eorum integritatemq; spe aut ambitione à vero dimoueri posse credentes, qui pro domo, pro familiâ, pro posteris cœlum sibi elegissent, sacrisq; sponsalibus Deo pacti, ea procurare, quorum nihil ad hæredes transire posset. *Quòd minimè ij sint obnoxij studijs priuatis.* Nam omnia regna, ciuitates, nationes, vsque eò prospe-

prosperum imperium habuêre, donec apud ciues æquitas, animus in consulendo liber, neque delicto, neq; libidini obnoxius fuit. Vbicunq; ista gratiâ respectuúe aliquo defluxerunt, post paulò imminutas opes, ademptam libertatem, seruitutemq; impositam fuisse legimus. Præsunt tamen audiunturque auctoritate suadendi magis non iubendi potestate. Tanta hæc singulis in Senatu est, quantam in publicis deliberationibus & disquisitionibus vnicuique proprium parare potest ingenium & sapientia. Et profectò hæc vera & maxima potestas est, regere habenas animorum, & cùm temporum hominumque inconstantia non eadem ferat, retinere ab errore & falsis opinionibus ciues, libidini & factionibus obsistere, quid quamq; rem in aliquo negotio sequi debeat ostendere, pacem & concordiam inter ciues stabilire. Nam in multitudine plùs motuum turbulentorum, & iactationis animorum, quàm rationis & constantiæ viget, sæpiùsq; alter alteri tantùm adstrepit, & permixtus omnibus clamore tuetur, quod postea tacentibus alijs deserit: patescet si cuius à turbâ separetur consilium, quod turbâ tegeretur. Itaque sicut multùm reipublicæ interfuit, habere principes consiliorum, quibus prouisa essent &

Senatoris in verbo debet esse veritas, in consilio fides, in commisso silentium, in oratione suauitas.

Omni enim populo inest malignum quiddam & querulum, & turbulentum.

In consilio dando reipublicæ caput est nosse rempublicam

considerata omnia, cognitæ religiones, auspicia, potestates magistratuum, leges, consuetudines, exempla maiorum, quantùm respublica haberet militum, quid valeret ærario, quos haberet socios, quos amicos, quos stipendiarios, quâ quisq; esset lege, conditione, fædere, ita non minùs quoq; ciuium interfuit, habere copiam diuersissimarum sententiarum, ex quibus instruere ingenia, errorem dubitationemq; suam tegere potuissent, & inter paucos eligere, quod esset postea omnibus sequendum. In hoc non tabella calculusué, sed vox & manifesta suffragia placuêre. Diceret quisq; quod sentiret, palàm & in luce omnium, non minore quoq; omnium plausu, quàm solicitudine propriâ, vbi nullum benè malèué dictum dissimularetur, vbi tot pariter & æquè strenui libertatis custodes curiam coarctarent, vbi tribus, & prouinciæ, & municipiorũ legationes, ex varijs Polonię partibꝰ collectæ assisterent, & sua quisque interesse existimaret, quid alius de se decerneret. Quid verò in libertate aut maius, aut aduersùs libidinem & impotentiam, comparari potuit potentius? id tantùm ratum firmumq; manere, in quod vniuersi consensissent? id ius esse, quod omnes esse iussissent? in iussu omnium, nihil sancitum esset,

Ex aperto consuluntur omnia palamq; suffragia feruntur.

Ius id est quod populus iussisset.

quod

quod omnes teneret? tollere, dimittere, rescindere concilia? intercessionem vnius maximum comitiatum dirimere? Nempe illud firmissimũ longè inperiũ esse, quo obedientes gaudent arbitrabantur. Nihil separatum ab omnibus, nihil à nobilitate clausum esse permittebant. ipsam Regibus adesse, ad subita consiliorum Senatores aulæ addere, vectigalia, expeditiones, bella, inducias, fœdera, leges, vnâ ferre, tollere, antiquare, scireque quomodo regerentur volebant. Hæc erat apud maiores nostros vna via, hic ad laudem, dignitatem, & honorem vnus aditus, iura publica, priuata, antiqua, recentia, edictorum interpretationes, in mores recepta possidere, dicta sapienter, fortiter facta, excogitata prudenter tenere, recentia cum vetustis, domestica cum exteris componere. Neminem libertas rudem & imperitum habebat, nemini assidua rerum agitatio, ignorationem vel obliuionem inducebat. Adolescentuli à maioribus natu, filij à parentibus, aut pro ijs à maximis quibusq; & vetustissimis discebant, quæ potestas referentibus, quæ vis magistratibus, quæ cæteris libertas, vbi cedendum, vbi resistendum, quis iubendi, quis exequendi modus esset, cunctaque non magis à magistris, quàm ab exemplis percipiebant, &

Senatores Regibus additi ad subita consiliorum.

Nulli clausa vt respublica ita ad honores in eâ consequẽdos via.

Vsus, omnium magistrorum præcepta superat.

publici conſilij ante ſpectatores & diſcipuli, quàm conſortes fiebant. Operæ pretium quoq; eſt, poſtquam ea, quæ libertatis ſtabiliendæ cauſâ, maiores noſtri, ſapientiſsimi viri, conſtituêre attulimus, eorum quoq; militiam recognoſcere. Nunc niſi Imperator conſilium ſuum occuluerit, id cauerit, ne palàm fiat, quod neminem ſcire voluerit, niſi aliud quiduis omnibus impoſuerit, quàm agendo egerit, vix cum laude præeſſe poteſt. Nemo enim in crebro iam vſu doli mali, non neceſſarium eum iudicat, ad rerum cùm ciuilium, tùm bellicarum adminiſtrationem. Maiores noſtri adeò ab his artibus abhorruêre, vt neq; in hoſtes, honeſtas eſſe ducerent. Cùm deciperentur, gaudebant quòd ipſi non decipiebant, imbecillitatem virium ex animi imbecillitate, ad fraudem declinantis colligentes. Multùm noſtris temporibus diſsimiles, quibus id inprimis gloriæ ducitur, expugnare priùs aliquid, quàm oppugnare, vincere priùs quàm cum hoſte manus conſerere, de fame, & egeſtate ipſius non virtute triumphare. Vt bella palàm nec temerè, ita intrà iuris & fidei modum gerebant, non ius cuiuſquam armis attendendo, non veteres turbando fines, non robur & vires ſuas, ad immanitatem in bella, ſed ad bella pro pace conferen-

Tranſitus ad aliam partem reipublicæ videlicet Militiam.

Nunc nihil in bello frequentiùs dolis.

Contra vim ſine vi quippiam aggredi turpe putabant.

Non ex omni occaſione quærebant triumphum.

ferentes. Tàm ſponſiones, quàm fœdera ſancta habebant, iuxtâ diuinã religionem fidem humanam colebant, credentes eſſe aliquid & in hoſtẽ nefas. Arma ſumebant, non tàm aduerſum ipsũ quàm pro patriâ, nec Ducẽ ſequebantur ſed cauſam. Igitur diu illis, amor tantùm patriȩ propriaq; gloria pro ſtipendio fuit. Non extremũ aut mercenarium militem in vſu habebant, non ipſi mercede militabant. Sic ſe quiſq; ſuis armis, ſuis virib⁹ ſuâ impensâ hoſtem à ceruicibus arcere, periculum pro patriâ depoſcere, ipſam tueri, defendere, corpus animamq; ſuam illi gratis impendere, non ære elocare properabat. Alia ab alijs, animos qui domi ſuperabant à nemine commodabant. Vitam, nemo poſt dignitatem, pecuniam & diuitias ante laudem amabat. Sicut in hoſtem, ita in mortem inuictum animum habebant. Hoſtem hoſtiumque vim ac robur, non tàm armis quâm contemptu mortis frangebant, pro aggeribus ſi fortuna virtutem deſtituiſſet, truncos illi corporum & cadauera obijcientes, animam & ſanguinem ſuum non ſtationem hoſti concedentes, neq; vrbes aliquas ſed ſepulchra relinquentes. Itaq; poſitis etiam armis ſecuri agitauêre, nullis ſepti muris, nullis propugnaculis mænibuſq; clauſi, naturali quoq; præſidio deſtituti,

Præſidio bellicæ virtutis pacem habebant,

Jus & fœdera ſeruabãt.

Pugnandi ratio.

Sine mercede mercenarioq; miliue.

Deuotio.

Laudis ſtudium.

Mortis contemptus.

In pagis habitant.

destituti, ex patentibus pagis villisque, hostes solâ formidine arcebant. Nihil enim tàm insuperabili vallo ingenium naturaúe præclusit, quod non penetret audacia, cui aliqua conandi spes relinquitur: ille est inexpugnabilis murus, quem semel extruit fama virtuti, & ignauia securitasué aliquem non aperit ad eum accessum. In fide, audaciâ, robore, sua mænia habebant, intra muros & vrbes delitescere fugæ perquam simillimum putabant. Confinijs barbarorum & indomitorum populorum cincti, eoq; causis bellisque nunquam inuicem deficientibus, regnum non per obsequium sed prælijs & periclitando amplissimis spatijs diduxêre. Alias gentes certis à se terminis, quâ ad Scythas pertingebant, quòd mitigari à consuetâ feritate non poterant, se ipsos ab ijs nullo certo limite vt sibi sufficeret, continuêre. Manent documento inter ripas Borysthenis Tyræq; procul diruti pagi & oppida, & longè latèque refugientes cum hominibus vrbes, nec aliud, quàm sine fine solitudo & deserta vsque ad mare vasta. Magnitudinem ac velut molem eorum metiri vel inde licet, quòd quanquam nuper priuatâ audentiâ, progressi vltrà quinquaginta millia passuum, occupauimus anceps & dubium solum, adhuc tamen effusi in immensum

Spartanus amico muros ostendenti: si hoc fœminis vestris extruxistis rectè, si viris turpiter.

Limites & confinia.

Cum Scythis de iis certamina.

Vasta deserta vulgò Dzikie polá.

Vltrà quinquaginta millia iam occupata & habitata.

mensum

menſum campi ſunt, quos terminare oculis haud queas, vaſto magnitudinis ſpatio, & pari ſolitudinis horrore. Non veſtigium hominum, non via in ijs reperitur, ſed pabula pelagi inſtar, ſub vacuo cœlo ſic luxurie progredientes ſorbentia operientiaq; , vt æquor fluctibus, in quibus viam, perinde cœlum ac ſidera, vt in mari regunt. Illic primùm miles futurus æſtimabatur, illic experientia iuuentutis, illic cos acuendæ virtuti Polonæ erat. Speculatum hoſtes in deſerta ire, parantes irruptionem præſentire prædicereque, perpetuò ſub diuo degere, eodem tempore inopiam & laborem tolerare, vbi dies defeciſſet, ibi noctem hærere, arma equumq; nunquam manu emittere, oculos in ſomnum non conniuere, ad quemcunq; ſonitum aures oculoſq; circumuertere, ne vbi fraus hoſtilis oportunum ſe habeat cauere, cautè incedere, cautè inſiſtere, inſidias tendere, ex ijs hoſtem elicere, obuium concitumq; in ſe non expaueſcere, vbi periculum cepit ibi virtutem oſtendere, vi, ſimulatione, inſidijs, reſiſtere, auertere, conficere, deniq; toto ſe hoſti defendere campo. Quanta cuiuſq; animo audacia inerat, tanta illic patebat. Non amicus aliquem tegebat, ſi quem manus propriæ non texiſſent, non pe-

adhuc tamen deserta ſiunt ſine hominum cultu, ſine vestigio.

Palaſtra illic virtutis militaris.

In præſentiendis Tartarorum incurſionibus & nunc illic excubiæ.

Periculum periculo vincitur.

Honores & dignitates pro ratione virtutis.

Propterea bella & suscipere fortiter & administrare constanter, & debellare feliciter contingebat.

Artes,

Venatio,

Firmitas corporis.

Tolerantia.

des tutati, si arma non potuissent. Necessitas in loco, spes in virtute, salus in victoria erat. Sub hâc æmulatione maiores nostri vt muro, vt vallo tecti hilares & securi agebant. Hæc habebant domestica & familiaria castra, quæ à iuuentute instar penatium diligebantur, prompta & honoribus, pro quibus illic enitendum & elaborandum cuicunq; ciuium fuit, & necessitati, in quibus velut in procinctu pro patriâ auxilium, & paratus iam miles in ipso periculo erat. Quicquid aliquando in vsum venire poterat, in illis perdiscebant, imperare agendo, duces agere sequendo, nihil facere priùs quàm noscere, vt nihil discendum esset, tempore aliquando docendi. Iurgia, discordias, iras, simultates, cum hostibus exercebant, ipsi inter se de virtute certabant. Artes, sicut nullas, quæ viriles animos effæminare putarentur amabant, ita nisi eas quibus ad prælia & aciem proficere poterant admittebant. Venationibus ad simulachra bellorum cienda, ad corporis firmitatem comparandam, ad tuendam prosperam valetudinem sese exercebant, efferatissimas bestias cubilibus suis excutere, cum fugacibus cursu, cum audacibus robore, cum callidis astu certare, subsistere, lacessere, conficere. Sic & lætum operibus corpus, & cre-

scentia

ſcentia laboribus membra ſeruabant. Famem à labore, non à coquo voluptatem petebant. Niues, pruinas, cœli ventorumq; rabiem, non tàm integumentis, quàm inuictâ animi tolerantiâ arcebant. Duritiem, laborem, atq; alia, quæ ignaui miſerias vocant, illi pro voluptate habebant. Arcum ſcienter tendere, fortiter implere, ex deſtinato ſagittam mittere, oculo manuq; ad ictum conſentire, militarem haſtam quatere, in altum emiſſam, manu iterum colligere, vibrare, plagam prudenter vitare, audactèr inferre, aſtu auertere, ad infeſtum mucronem ſeſe ſubmittere, pro re, pro loco, pro tempore, punctim, cæſim, cominùs, eminùs dimicare, petere, recedere, inſurgere, inſilire, equum circumflectere, in gyrum vertere, freno compeſcere, ad multiplices temperationes, excurſiones, reuerſiones, inhibitiones, congreſsiones, ſtatus, appulſiones, impreſsiones aſſuefacere, hic ludus adoleſcentum, hæc virorum æmulatio erat. Igitur animum, quem ſecum ad prælium adferre difficile eſt, ipſi in acie inueniebant. Non hoſtem aggredi metuebant, in quem paiati perpetuò erant iam ſe viciſſe putabant, quia non timebant. Non in tumultibus facere ſeditiones ab inſolentiâ, ſed in campum adferre virtutem à nâtali-

Mortem deinde minùs timet qui minùs deliciarum nouit in vitâ.

Exercitia militaria.

Temperationes equorum.

Scientia rei bellicæ dimicandi nutrit audaciam.

Nemo facere metuit quod ſe didiciſſe confidit.

Ad hæc tyrones pallescunt his veterani acuuntur.

Calamitas virtutis occasio.

talibus studebant. Tubæ, tympana, clamor & conspectus hostium, illisi cominùs gladij, arma latè strepentia, permixta casibus vulnera, morientium cadentiumq; ira, cruor, gemitus, fomes erant & incitamentum virtutis, non pacificationis aut metus causa. Verbis frustrà arma placari, libertatem quietemq; à virtute suâ tantùm cuiq;, nulli ab hoste donari putabant. Igitur quæ viuentibus, eadem vitâ quoq; functis, vna fuit ambitio, conspicua arma, equi, hastæ, gladij, scuta, quibus suas exequias honestabant, supremisque suis has dabant inferias. Quod vbicunq; gentium gymnasium, quam palæstram, quod militiæ studium, apud nonnullas gentes, artis quoq; præceptis comprehensum, huic domesticæ exercitationi & disciplinæ prætulerim? Id scilicet tum de milite verendum erat, ne quis alius, impigræ linguæ, animi ignaui, per municipia plùs hospitibus quàm hostibus metuendus, attentiùs Ducis non tantùm signum, sed etiam nutum obseruaret, principia nosceret, vigilias obiret, dura & aspera toleraret superaretq;? id etiam de Duce, ne quis alius de bello audire tantùm aut legere, in libris, super mensam debellare Alexandros, vinumque potiùs pro salute patriæ, quàm sanguinem fundere solitus, solertiùs castris locum caperet?

Funera & exequiæ veterum Polonorum.

Copia Ducum & militum optimorum in Polonia.

Militum officia.

Ducum.

peret? vigilias disponeret? ab insidijs præcaueret? sciret, quis ordo agminis, quæ cura explorandi, quantus vrgendo trahendoq; bello modus esse deberet? quando acie, quando cuneis, quando subsidijs, quando equite pediteué, quando puluere, sole, vento pugnandum esset? quando exercitum modò latiùs pandere, modò in angustum còárctare, & aut in cornua sinuatâ media parte curuare, aut rectâ fronte explicare oporteret? intelligeret occasiones? differret impetus? Profectò si cui populo datum id quoq; à Dijs est genti Polonæ, vt editis permultis egregijs viris, ducibus, militibus, & cum ijs in quocunq; virtutum genere eximijs exemplis, haud minùs quàm cæteræ terræ per Orbem gloriari posit. Equidem vt ommittam tot ætatum bella, quorum testatam gloriam mille & ampliùs anni, inter potenßimorum hostium vim, dolos, inimicitias, inter variorum periculorum tempestates & procellas, ad hanc vsq; diem transacti incolumes, in ipsâ quoq; libertate, cui nihil simile aliæ gentes, aut secundùm ipsam Regnum nostrum habet, faciunt: cùm ab vnâ barbarorum gente, tot in Europa beata & felicia regna direpta auersaque, cùm non profuisse Hungariæ permagni Imperij nomen viresq;, cui se vt tuta

Aliena exempla perspicere satis est cùm haud minùs felicibus domi abundamus.

Polonia antemurale & propugnaculum aliarum gentium à Turcis.

 esset

esset iunxit dediditq;, cùm infesta eorum signa Viennam vsq; peruenisse considero, (absit verbo inuidia) hæc est, quæ nullius gentis opibus subnixa, nulli per fœdera contra inimicitias suas sociata, victoriæ barbarorum orbem intercludit, quæ Turcam, tanquam murus & fatale munimentum, ab alijs gentibus in se sistit auertitq;, quæ sola eum toties trepidare, quæ nuper etiam de se desperare docuit. Neq; eadem vllâ parte alijs virtutum miraculis inferior, hæc trecentos Fabios in Petro Gunicio, & triginta eius familiaribus reddidit, quos ad Vschouam hostium incursioni obiecit, castris eorum pertinaciori quàm feliciori audaciâ intulit, victoriam illic pariter claudentes & reditum. hæc Coclitem in Sciborio expressit, qui propè Nicopolim, dum Rex nauiculâ periculo eriperetur, Turcarum vim impetumque vnus diu sustinens, omni deinde spe in ripâ destitutus, saluo tantùm animo armisque in Danubium desiluit, multisq; desuper incidentibus hostium telis, incolumis ad Regem tranauit. hæc pro Mucio, duodecem iuuenes, quos eximiâ formâ è captiuorum numero segregauerat, Amurati obiecit, qui Andrinopoli, irriti proditiq; in Tyrannum conatus, pœnas à se ipsis exigentes, obditis in alterum facinus cubiculi foribus, atq;

Petrus Gunicius, Cromerus lib: 28.

Sciborius, Cromerus lib: 15.

Duodecim captiui iuuenes, Cromer: lib: 21. Anno, 1444.

manibus non foculo ſed armis admotis, mutuis inuicem concurrentes vulneribus pro errore, non igni adipem carnemq́; , ſed ferro vitam cùm ſanguine fuderunt, hæc deniq́; nullo in genere hominum, illuſtria ſibi virtutis exempla defuiſſe, non in raſtris falceque (ex agro enim fuit Piaſtus) non in tenero corpore ſexuq́; (virgo enim fuit Venda) probauit oſtenditque. Verùm ſi ſigillatim & pro magnitudine omnia facta maiorum perſequi vellem, ad quę patranda, plùs illi animorum habuêre quàm prædicanda, tempus me citiùs quàm res deſereret. Ad neceſsitatem ſatis dictum puto, quâ cognoſcamus, licere nobis promere in hoc regno quod ſcimus, exercere quod ſumus.

Piaſtus.

Venda.

Itaq́; DOMINICE quies illa & otium, quę nonnulli, ſeu contenti re ſuâ ſeu quia mores hominum & tumultus ac labores moleſtiaſq́; offenſionum in republicâ ferre non poſſunt, apprehendunt, ſeque ab eius negotijs & adminiſtratione remouent, neſcio quæ torpedo mihi potiùs & animi mollities videtur. Quorum ego iudicium, tùm quòd gloriam contemnunt, tùm quòd metuunt ne alicui improborum diſpliceant, probare nunquam potui. Etenim in prælio clypeum qui abijcit, paulò pòſt & ab hominibus & à iu-

Proiecta virtus eſt quæ quod patriæ debet didicitque nunquam oſtendit.

Nunquam flamma ſurrexit ſine fu-

mentis

mo, nec flamma sine liuore.

mentis calcatur, atq; plerunq; sub pedibus perit, ita qui ferre liuorem & inuidiam non poteſt, ferre contemptum cogitur, qui in virtutis continuò ſuccedit locum. Ad hoc viuos tantiſper inuidia fatigat, vbi anima naturæ ceſsit, demptis obtrectatoribus, ipſa nos poſtea fama magis magiſque extollit, ſolaq; apud poſteros durat, non peruenit inuidia. Relinque tu DOMINICE iſtam ſolitarijs & ſi qui ſunt doctis viris prudentiam, deſpicere ſe illi profiteantur, ea quæ pleriq; admiramur, nulla re egeant, nihil expetant, nihil cogantur, tuti, liberi ſint, nulli homini aut opinioni ſeruiant. Tu noli hâc ratione nobis ſapiens eſſe. Nam alijs alia licentia eſt, tibi vt cum maioribus contendas quodammodo neceſsitas imponitur, quorum præclarè facta, eam in egregiis viris vim habent, vt ex ijs non priùs in pectore ſuo conceptam flammam ſedare poſsint, quàm famam quoque & gloriam ipſorum virtute adæquauerint. Ex quibus quanquam vitâ functis, ſi quæri poſſet, ſuoſné ſibi æmulos & imitatores, an alienos fieri præoptauerint: quid reſponſuros credis? niſi ſe non magis in opes & diuitias, quàm in præclarè facta hæredes genuiſſe, neque vt ſibi accideret vnquam optauiſſe, cum infelicibus parentibus, vt aut facultates patrimonij, aut gloriam alijs

Roſa inter ſpinas habitat, inter difficultates virtus, inter curas gloria.

Optima à parentibus liberis hæreditas relinquitur, omniq; patrimonio præſtantior gloria, virtutum rerumq; geſtarum.

am alijs pararent alijs relinquerent. Iam verò quod alijs haud promptum, tibi non perinde futurum est: aditus ad honorem, nullius quidem virtuti interclusus, tibi ita patens, vt ad quemcunque, ex ipsis natalibus, prior iam sis candidatus: honor ipse, in quo vt nihil ampliùs alijs assequi, nec maior magisué Senator esse possis, hoc tamen præstare, vt tibi minùs inuideatur. Quanquam is incessit mos, vt nonnulli importunissimi homines, quibus nihil intùs suppetit ad honorem, magistratus, dignitates, quæq; per mortales auidè cupiuntur, nihilo & ipsi flagrantiùs ambiant capiantq;, perinde quasi consulatus, sacerdotium, & similia per se clara & magifica sint, aut ipsi ijs vtique magìs honesti ac tuti, ab hominum contemptu & reprehensione fiant. Quod profectò contrà est, vbi sinistra magnæ quoque gloriæ adrepit interpretatio obtrectatioque, ibi neque desidiæ socordiæúe ab hominibus virtutis decora condonantur. Quantò magistratus excelsior, tantò socordia ipsorum flagitiosior est, neq; sibi ipsi mentiens conscientia hominum, rerum merita non fortunæ perpendendo euenta adduci potest, vt honore & reuerentiâ dignum eum putet, in quo mentem impurissimi scurræ, adulatoris improbi, mercenarij patroni, mollis-

Sacerdotia & Consulatus atq; omnia alia huiuscemodi, non per se ipsa clara & magnifica sunt.

Sed perinde habentur vt eorum qui ea sustinent virtus est.

simæ mulierculæ intuetur, in quo nihil videt prę-ter nomen additamenti, & quo tantùm comma-culatur laus bonorum. Equidem illud primùm DOMINICE vt honore dignus sis maximè labo-ra: secundùm, vt existimeris, veramq; in iudiciis magis hominum, quàm in splendore titulorum dignitatem reponas, & dignus quâcunq; habea-re, si quam etiam nolueris: tertium sit tibi quod plerisq; primum esse solet, honor ipse, quo di-gnitatis testimonium non ambitionis benefici-um referas. Etenim præstantibus & egregijs viris, animum si conformaueris, non opus honorem deferente, tu te ipse excellentibus addidisti: aliò si studium deflexeris, extrà ne quæsieris quomodo in clarescas, ipse te ad deteriores detrusisti. Nam & in dignitatum similitudine, quibusq; sibi rebus maximè pares multi videntur, magno tamen à se inuicem discrimine distant. Honorum gradu multi pares sunt, gloria dispares, atq; eodem lo-co alius alium bonâ famâ, fortibus factis anteit. Est enim in virtute ascensus, & vt quis alterum honore pretergredi non potest, laude potest. Ve-rùm enimuero in magnâ copiâ rerum, aliud alij natura & sua cuique propensio iter ad gloriam ostendit. Pulchrum est libertatem, patriam ar-mis protegere, sapientiâ, quoq; eãdẽ iuuare haud minùs

Verus honor est in iudiciis hominum.

Honorum gradu multi pares sunt gloria dispares.

In republica duo modi ad se proferendum.

minùs decorũ eſt, & conſilium & incæptum pro eâ, vacuum laude haud cuiquam fuit, quoquo incubuit animus perinde inter cupienda habentur, decernendi prudentia, & decertandi fortitudo, vel bello vel pace magnum & clarum fieri licet. Sed profectò omni in re prudẽtia dominatur, priùſquàm aliquid incipias conſulto, vbi conſulueris maturè facto opus eſt. Nam & in bellis quod præcipuum creditur, hoſtem aduerſum manu aggredi, id arduum nunquam fuit, niſi tantùm timentibus, occulta pericula inſtruere vitareque, nemo quiſquam niſi ſciens potuit. Adhęc ibi pleraq; ſunt, quæ ampliùs quàm ſemel fieri nequeunt, in quibus error vnus ſufficit, vbicunq; prouidentia & conſilium exciderit, actum eſt, non ampliùs res emendationem recipit. Itaq; ſicut in corpore noſtro nihil maius animo, ita in animo nihil præſtantius ſapientiâ obtinuimus. hâc vti quiſque maximè excellit, ita dignus eſt maximè vti imperet mortalibus. Eſt enim in omni rerum genere, vnum, primum ac rectum ad cuius normam & rationem cætera dirigi illiq; ſubeſſe oportet, animi alterum, alterum corporis vice fungi decet, alterum imperium, alterum alteri obſequium præſtare, optimum & prudentiſsimum conſulere, cæteros parere. Quippe nihil eſt.

Sagum & Toga.

Prudentia anteit.

Mens vna ſapiens plurium vincit manus Euripides.

Potentia abſq; prudentia viribus ipſa ruit ſuis.

Vulgi ingenium.

um varium multiplex torturum.

hil est tàm occupatum tàm multiformeác deuium, tot opinionibus & affectibus concisum & laceratum quàm populus, atq; cum singulis hominibus, inest quædam necessitas errandi, turbæ etiam amor. Ac mihi quidem multa legenti, multa audienti, nonnunquam libuit attendere, quę res potissimùm magnos profectus ingeniis attulisset, quæq; illa in imperiis auxisset substentauissetq;. Sciebam ex tenui re & paupertate, longè plura ad gloriam, quàm ex paruis opibus peruenisse, vt in paruâ fortunâ, videatur ipsis potior dandus locus, in quâ diligentiæ & contentioni eorum, illud ipsum dedit vires, quod premebat. Cognoueram quoq;, vti neminem non iuuat, præmium & fauorem sequi, plurimum illa cum munificentiâ Principum certauisse, non magìs se, atq; eos, qui literis fauebant per cæteras gentes extulisse celebrauisseque, atq; magnum & perenne nomen apud posteros ijs donauisse, qui sibi cætera. Ita diuersos, alios agendo, alios facta aliorum celebrando, vtrosq; se inuicem ornando, magnos & claros factos, virtutes eorum qui aliquid gesserunt, tantas habitas, quantas videri volebant præclara & ipsis addicta ingenia. Sed profectò sicut ista, multorum profectus in id quo tendebant adiuuerunt, ita eosdem non rarò corrupe-

Quæ res potissimum excitat profectum in ingeniis facitq; prouentum virorum Doctorum? Multis paupertas profuit.

Multis præmia & fauores principum.

Multis quoq;.

corruperunt retròq; egerunt. Quorundam industria, præsumpta ex paupertate quò voluisset euadendi desperatione, quorundam postquam illi otium, diuitiæ, aliaq; optata contigêre subsedit, aliis inter necessaria, alijs inter superuacua elanguit, alijs illud quod defuit, alijs quod superfuit obstitit. Itaq; mihi multa agitanti, illud magìs pro vero constat, ingenia vsq; eò sese extulisse tenuisseque, quoad ij qui alijs imperitabant eminebantúe, ipsorum intelligentes fuêre, atq; iudicio non impetu in qualiacunq; propensi, superabant proprium inferiorum populiq; vitium, ignorantiam veri & inuidiam. Quippe plebis existimatio, in multitudine dispersa & varia, virtutes pari leuitate, apud se deprimit tollitque, atq; sæpiùs ad obtrectandum prona, eòq; magìs in æquales iniquior, ipsorum gloriam minuit, non dissimiles reputando, quos pares habuerat. Contrà magna fortuna inconsulto quoq; fauore laborat, dum ostentandæ, quàm collocandæ munificentiæ cupidior, aliorum merita, liberalitate suâ, non tàm excipit quàm antecedit. Nam nemo non hâc sibi velut testimonio charior, deprehensâ deinde inscitiâ negligentiâúe, aut conatum inhibet, nihilq; plus eo efficit, quo iam se adiuuit, aut perniciosissima persuasione, ad ar-

& paupertas nocuit.

& opuletia abundantiaq;.

Judicium Principum & notitia ingeniorum, fuit eorum nutrix.

Plebis iudicium inuidia corrumpitur.

Ignorantia vires ex præmio & fauore principum sumit.

Multi velut sub clypeo, sub fauore principum ignorantiam suam occultant.

rogantiam labitur, nimiumq; dat fiduciæ & alienæ & suæ. Vnde maxima ignauiæ, imposturę, fuco, cæterisq; inanibus occasio atq; munimentum, neq; infrequens causa, vt magna ingenia, postquam nullum discrimen, atq; etiam cùm vana magis clara, magisq; accepta vident, studia alio vertunt, quæ præ ambitu alijsue commodis, inter prima habebant ac diu sola. Neque enim aduersus mores publicos mens eadem omnibus constat, & in pulcherrimis conatibus, vbi aliquis non habet, de cuius iudicio & opinione fiat solicitus, rarum est, vt se satis ipse vereatur, neq; deserat excellentiam sine agnitione vel vsu. Quippe inferiorum de alijs existimatio talis est, qualis eorum qui eminent opinio præit, quibus plerumque suo more non iudicium plebs accommodat sed fidem. Quin etiam contra tendere periculosum persæpè & arduum est, aut si ignorantiam alterius retegere cogites, maleuolentiam & inuidiam in alium existimant. Ex quo fit vt diuersè, prout tamen naturâ meliora placent, alia quisque laudat, alia amplectitur, doctrinam prædicat, indoctos fouet, præstantissima suspicit, vanissimis se adiungit, prudentiam æstimat, imperitissimos extollit, quod profectò, fatum quoque nostri temporis est aut morbus. Atq; hæc

Ita fucus irrepsit vanitas, arrogans de se persuasio.

Magnum ingenium præstantiam suam intelligit & cognitionē reuerentiamq; postulat.

Non iudicium plebs affert sed fidem de ingeniis.

Et nunc hi passim mores.

Censura inge-

hæc quidem non poſtrema virorum principum laus fuit, bona ingenia noſcere, eaq́; in ſuam gloriam fouere. Altera à proprio ingenio petenda eſt. Cuicunque in republica amplior illuſtriorq́; locus contigit, eò ampliori comitatu doctrinæ, & velut illuſtriori apparatu honoreq́; virtutum retinendus eſt. Qui dignitatis & reuerentiæ, idem curæ & laboris gradus ſit oportet. Sudandum eſt pro cõmunibus commodis, adeundę inimicitiæ, ſubeundæ pro republicâ tempeſtates, ſuſcipiendæ ſæpè cum audacibus, improbis, graues & inexorabiles inimicitiæ, quodq́; conſcientiæ libertas habet ſpernenda potentiorum, pro tuenda libertate offenſio. Standum eſt præterea, tanquã in orbe aliquo reipublicæ, qui cùm perpetuò verſetur, & hominum temporumq́; conditio diuerſa ferat, prout pars aliqua inclinat, aut ſalus & vtilitas poſcit, ſubueniendum ei eſt, parato ingenij inſtrumento & ad omnem vſum repoſito. Quanta cuiq́; ineſt præſtantia, tanta illic patet. Reperias nonnullos, qui ſibi mirè diſerti & callidi domi videntur, cùm in curiam publicumque veniunt, non magìs ſuæ illi ſapientiæ ſufficiunt, quàm parua quædam animalia, quæ in anguſtijs ſuis mobilia, campo deprehenduntur. Quidam veluti ſuperuacanea nauis onera, huc illuc fluctuant. aut defor-

viorum ad principes pertinet.

Qui dignitatis idem & laboris gradus eſſe in republicâ debet.

In odia multorum incurrat neceſſe eſt cui propoſitum eſt malis diſplicere.

Orbis reipublicæ perpetuò vertitur.

Eloquentia & conſilium præſtò ſit oportet.

aut deformiter alios respectando, in sellis aut titubant hærentq;, aut prioribus assentiuntur & seruiunt. Sed facundię inter homines magis votum fuit, rara felicitas. Abundè mihi ille eloquens est, cui fides, libertas, veritas constat, quę etiamsi lenocinijs destituuntur, satis tamen naturâ sua ornantur, nec aliquid est, vt non disertè, quod honestè dicitur. Quantumcunq; studij, doctrinæ, ingenij fuerit, ampliùs habebit eo qui dicere sciet, is qui audebit. Etenim cùm infelices eos existimo, quibus dolus & adulatio fide chariora sunt, tùm multò infeliciores, qui se insuper ijs ad seruiendum exercent, atque ad alienum arbitrium, aut loquuntur aut tacent, ingenuitatemque sermonis spe, vel pretio corrumpunt. Id adeò malum ferè per largitionem & luxuriam venit, cùm profusis sumptibus, in libidines, ædificia, familias, imaginum tabularumq; miracula, & inanem splendorem ac magnificentiam, cæteraq; quîs pecunia variè vexatur prodigiturq;, res & dignitas collapsa, ampliùs sustineri non potest. Quibus quidem rebus mihi videtur via ad fædiora facinora pandi. Nam inconsultam largitionem sequuntur rapinæ, multique quibus antè in diuitijs, vel molliter vel magnificè viuere copia erat, postquam egere cæperunt, alie-

Facundiam, fides, veritas, libertas, in republicâ exæquat.

Assensionis & assentationis causa.

runt alieno manus afferre coguntur; atque cum alia non procedunt, extrema in republicâ & seditiones amant, odio rerum suarum, mutari omnium cupiunt, atque ad quoscunque motus erumpunt, quibus plerunq; ex publico dissoluitur, quod à singulis priuatim contrahitur dissipaturúe. Verùm ista in ortu meliùs quàm serò emendantur, neq; eueniunt vbi retinetur parcimonia in censu. In nos sanè nunquam tale facinus alicui regnantium tentatum, aut quidlibet agenti fuisset expeditum, inter ciuium in Reges intentam suspicionem, quâ vti haud modice libertas crescit, ita regentium destinata impediuntur. Abundè illâ aduersus dominos muniti sumus, eadem nimia nec cuiquam magis quàm nobis ipsis grauis interius nos in discrimen vrget. Quippe res omnes melius intra modum & velut ęqualitatem tenentur, vbi altera alteram superat, & dominationi libertas vel contra pręualet, quod vna cum nimium augescit amat, eodem altera deflectit, ad parem insolentiam. Hinc quibus in alios regimen labor, egregiaque ad effectum deducendi difficultas. Alius ab alio in diuersa ferri & distrahi, dissidere & reniti, nocitura malle quàm non suspicari, nescire & narrare, suspicione vel priuato sententiam moderari, ad subi-

Ad perturbandam rempublicam inopia & mali mores stimulant.

Libertas temperata salubris nimia & aliis grauis & iis qui habent effrenis est.

Augustus dicere solebat: Duas se habere filias delicatas, sed fe-

rendas, Rempublicam & Iuliam.

ta perinde ac meditata plùs ſpei votiq́ue quàm conſilij opiſue promere, pleraq; etiam inſuper habere, tanquam non parua vis libertatis in eo eſſet, quando publica proprio fato caſuque feruntur, & pro cupientiſsimis, adeſt cuiq; licentia & eius ſucceſſus. Nam profutura meliùs ab vno diriguntur, multitudo ſæpiùs quid expedit poſt euentum videt, cui hoc quoq; vſitatum, vitijs libertatis moueri non curâ. Sed ego hæc interea dimitto. Nam pleraq; conſiliorum obſcuritas inuoluit. Multi ignorant, quid optimum ſit, multi quid expediat, multi quid deceat, nonnulli quid liceat. In quæ tametſi præſidium in doctrinâ eſt, tamen in illa id ſeruandum exiſtimo, ad rerum adminiſtrationem tùm accedere, cùm affectiones animi & perturbationes aut mitigauit ætas aut vicit ratio. Neque enim perniciosiùs eſt illorum conſuetudine, qui nimis præcocia ſtudia in magna negotia mittunt, & acerbos adhuc & immaturos profectus, in forum, in curiam, Eccleſiam & rempublicam propellunt. Nihil enim ipſa rerum natura magnum voluit effici citò, appoſuitq; pulcherrimo cuiqu operi moram & difficultatem, quæ in pariendi tempore, eam tulit legem, vt magna animalia diutiùs viſceribus parentum contineantur. Cui vſui

Nonnulli rem non vident nonnulli pertinere ad ſe non arbitrantur.

Quidam adoleſcenti de rebus diſceptanti Aures dixit in linguam defluxiſſe.

Cum doctrinam vix primoribus labris delibant putant ſe pleno proluiſſe ore.

vſui DOMINICE tametſi ab adoleſcentulo, pulcherrima adiumenta in futurum tibi comparas ſeponisq́; , tùm neq́; ætati in quâ es vacationem gloriæ permittis. Agere per ludum, quod poſtea cederet virtuti, in armis, telis, equis militaribus voluptatem habere, conquirere mercariq́; , ipſe explorare, equos in curſum concitare, in gyros circumflectere, curſu, ſaltu, gradu corpus exercere, laboribus reparare, ſagittarum ſpicula tot aliquando exactura animas, quot diſpendia feciſſent, interdum in auras mittere, interdum ad ſcopum longiſsimè dirigere, ad patrandum aliquid, iam ſe iam æquales incitare, præmio paciſci, hæ à pueritiâ artes tuæ & exercitia fuerunt. Quibus id effectum eſt, vt cùm aliquãdo conſilio, nunc iam maturè manu patriam demereri poſsis. Ita maiores noſtri non in vnam aliquam partem, ſed in omnes reipublicæ pariter elaborârunt, apud quos prudentiſsimus quiſque maximè negotioſus erat, ingenium nemo ſine corpore exercebat, in exercitationibus facere quàm dicere, gerere quàm aliena recenſere præclarius putabant. Nam vigor mentium plerunque frangitur mollitie corporum, tantùmq́; animus cuiusque ſumit in generoſitatem impetus quantùm de laborum periculorumq́; inuenit in

In rebus periculoſis ſenex conſultor locum habet in difficilibus iuuenis.

Paratus eſt ad audendum animus cum exercetur corpus.

corpore suo experientiâ tolerantiaq;. De quibus DOMINICE quantùm in te iam sperandumque porrò esset ostendisti, cum ad lugubre consilium officiumq;, ab omni parte coëunte, orbo post suum Regem regno, idoneæ adultæq; virtutis nomen solicitudini & pietati patriæ dedisti. Copiæ tecum spectaculo & ordine pulcherrimo, vir viro, arma armis, summâ curâ, propè ex veterum disciplinâ militari censa lectaque, peditum equitumq; vexilla numerosa, conserta, non raritate aut confusione interlucentia, hinc opibus, auro, telis, armis, inde ferarum tergis & martio habitu horrentia visendaq;, ad tubarum monita, ad signorum indicia, ad iussa, ad nutum tuum præfectorumúe expedita & cõsentientia. Iam verò inter tot mortalium tecum in apertâ planitie conspectum, inter concrepantium tubarum tympanorumq; horrorem, inter equorum cohiberi inter ista indignantium hinnitũ fremitumque, nihil pulchriùs eminebat, quàm tua promptitudo, tua alacritas, quam destinatam libertati, bruta etiam persentiebant, tecumque pro ea & illud officium, in prælium & hostem. Quod tibi DOMINICE eò pulchrius adhuc & gloriosius futurum est, quod non honori tantùm id & reuerentiæ, cùm grauiora pro patriâ recusantibus

Anno, 1632.

impendi-

impendiſti, ſed velut magni diſcriminis fragore, velut claſsici vocantis ſtrepitu excitus, non ſegnior ſuccurrere quàm adeſſe, nefas putas non neceſsitati patriæ, aut aliquid ipſi tantùm præſtitiſſe ſemel. Igitur quicquid ab altaribus publicis, & fauſtâ nuncupatione, Nouo Regi impoſuerit decus publicum atque propriæ laudis ſitis, quoquo eum traxerit, ſeu Moſchouia, reſurgentis belli minis plena, ſiue Suecia, inter mutantium ſe dominorum manus aliâs peritura præda, ſeu Pruſsiæ cicatrix, Liuoniæ damnum, Ruſsiæ laceratio, & quicquid iam olim Patris habuit veſtigium aut victoriam, expectas, attendis, arma, militem, manus, animum aptas, neq; copias modò auxilio, ſed te ipſum comitem paras bello. Equidem DOMINICE quemadmodum ex pulſu & venarum momentis, periti medendi de ſalute ægrorum pronunciant, ita ex generoſitate ciuium & animo cupido periculorum atque bonæ famæ, de incolumitate reipublicæ iudicandum eſt. Nam otioſa felicitas, nulli regno ſecura fuit, neque votis aut ſupplicijs muliebribus à Dijs paratur, ſed vigilando, agendo, in labore, patientiâ, bonis præceptis & fortibus factis ſe excitando, proſpere cedit, tandiuq; ferè tuta eſt, quandiu ferrum in manu eſt, pace & ſecuritate

Pace & otio ſeneſcunt vires.

 elabitur,

nec valemus postea in hostem nec conamur neq; gloriâ mouemur neq; flagitio.

elabitur, cùm verò socordia & ignauia irrepserint, Dij etiam nequicquam implorantur, irati tunc infestiq; sunt. Nam ita ego à maioribus natu accepi neminem posse eodem tempore assequi magnam famam & magnam quietem, primumque id boni ciuis officium esse, iuuare patriam: secundùm, nullum casum pro dignitate & libertate eius non ferendum putare: tertium quod primum omnium maximumque est, vitam pro eâ libenter ponere, quam sæpè inuitis etiam nobis eripit febris, aut lenta eijcit tussis.

Illum virum esse non puta cui animus non crescit periculorum accessione.

Hic animus hominem detegit, vultum ignauis leuat, quanti sit quisque fatetur. hic ad nullos metus & pericula pauidior, non se parte aliquâ contrahit, patiatur aliquid vel tentet. hic corpore rupto & confosso, discerpto & lacerato, hostibus suis superior, hoc eos vincit terretque, quòd idem ferre non possent. cadit aliquando, nunquam cedit. sanguinem cum oportet lachrymas neque in morte emittit. hic vulneribus, ignibus, tormentis, totâ crudelitatis irâ arteq; in mortem actus, exitum inuenit, quem & qui timent laudant, & qui complorant, admirantur. hic quicquid potest esse magnorum meritorum impendit, quod plùs pro patria non potest. Hunc nos tanquam fastigium celsius

Quid refert colum in manum vel hastem accipiat

aliis

alijs præclarè gestis, tanquam fundum cuiuscunque virtutis feracem, admirati, in eo virtutibus Aras statuimus, finemque ponimus progressioni nostræ, ex quâ sub tuo nomine DOMINICE, qui Reipublicæ educantur crescuntque, iam nunc à nobis accipient viuendi rationem, à te ipso, exemplum. *qui timere didicit?*

De Mendis Libelli.

IN tot negotiis & occupationibus, Lector, qui me nosti, audaci meæ, non tamen improbæ contentioni, facilis erit apud te excusatio. Typographo veniam peto, quem nunquam aliter nisi veniâ seruare possum. Quanquam cum in multis, in variis studiorum generibus aliquid tibi semper exhiberi vides, tanquam me in omnibus experiar, vni non satis confisus, sic cuilibet vni veniam, tanquam non vni dabis. Errores grauiores quos meum tempus deprehendere permisit, ex me habe, alios ex te tuoque emenda.

Pagin:	16	Descientia	*pro*	Desciscentia.
	19	munitores	*pro*	munitiores.
	20	vim tuam	*pro*	vim suam.
	22	indicentium	*pro*	indecentium.
	23	promptum in quamcunq;	*pro*	promptam in quemcunq;
	62	capacitatem	*pro*	rapacitatem.
	71	consumare	*pro*	consummare.
	82	dubitationem suam tegere	*pro*	dubitationem suam regere,
	85	Non extremum	*pro*	Non externum.